

~~G. 141. 72.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-76.

SIGNAT. CLIOCCCXIII.



(100)



10
Q. B. V.
EX PHILOSOPHIA PRIMA,
DE

CAUSAMORUM

RALI,
DIATRIBE II.

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi, atq; Excellentissimi.

DN. CHRISTIANI TRENTSCHII,
Logicæ, & Phil. Prim. Professoris Publici,

celeberrimi,

Dn. Præceptoris, Promotoris, ac Patroni sui,
ætatem venerandi,

Publicæ Doctorum censuræ, pro more,
exponit

M. FRIDERICUS BESSELIUS,

Tilsâ-Prussus.

Ad diem 24. Augusti, horis antemerid.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

Literis JOHANNIS BORCKHARDI

ANNO M DC LXIV.

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
DN. CONSULIBUS,
CÆTERISQUE SENATORIBUS, ET PATRIBUS,
REIP. APUD MONTEM REGIUM PA-
LÆOPOLITANÆ, GRAVISSIMIS,
DOMINIS;
PATRONIS, ET PROMOTORIBUS
MEIS, OPTIMIS, MAXIMIS,
ALTERAM HANC
DE
CAUSA MORALI,
DIATRIBEN,
IN DEBITI CULTUS
TESTIMONIUM,
M. FRIDERICUS BESSELIUS,
AMPLIT. EOR. DEVOT.
DO, DICO, ADDICO.

MORALI
CAPUT VIII.

§.1.

DE natura, definitione, atq; distinctione Moralis cause, haecenus κατὰ πλάτωνα disputatum est: ad species nunc recta descendendum. Jubet enim cum recta ratio, tum illud, quod nihil vel in animo, vel in opere sapientis, admirabilius est, ordinem dico, (quem hujusmodi encomio extulit Scaliger. Exerc. 2. p. 7.) ut explicatis iis, quae ad ἁρίστην causam nostram spectabant, ad divisionem accessum faciamus. Haec namq; est, quae ea, quae generaliter, atq; ὡς τύπον concepimus, distinctius intellectui nostro secundum partes sistimus. Unde Plato, quem caeterorum veniam, sanctissimum appellat Philosophum Censorinus de Die nat. c. XIV. p. 93. in eadem arcem sapientiae, non injuriā collocavit. Etsi autem diffiteri non possumus, divisiones, quas partim juxta aliorum, partim juxta nostram methodum adducturi sumus, ἀκριβείαν accuratarum distributionum Philosophicam, non sustinere omnes; subjecti tamen in accidentia, (aut quocumq; appellare malis nomine) διαίρεσιν benè sustinent. Et hinc est, quod nonnulli modos potius, quam species agentis dari morales existimarunt.

Transitio ad
divisionem.

§.2. Inter alias autem distributiones, quae tot ferè sunt, quod Efficientis ipsius γενικῶς consideratae; eminet quadruplex moralis causae distinctio, ab aliis aut praetermissa, aut levi, quod ajunt, brachio tractata atq; explicata. Ἐκαστὰ ἀφ' ἑκαστῶν dispiciamus. Est itaq; 1. Causa moralis alia per se, alia per accidens: quae divisio in genere morum primaria est, non tamen ab omnibus eodem modo accepta. Moralem per se finiunt, quae liberam suam voluntate, proposito, & studio, intendit effectum, ut sit causa, quae non reali influxu physico in esse effectum, sed tantum verè aliquid conferat, propter quod se imputativè ad eundem habeat. Per accidens verò, quae in genere naturae verò atq; reali in effectum influat influxu, in genere morum contra praeter intentionem fiat, aut voluntatem. Non adeò malè. Concisius tamen & expeditius κατ' αὐτὸ
E dei-

Dividitur
Causa moralis I. in eam, quae est per se, & quae est per accidens.

DE CAUSA

dicitur, quæ πρώτως intendit effectum, ad quem producendum movet atq; instigat causam physicam: κατὰ συμβεβηκός autem, si intentio illa ratione causæ abest, effectus tamen causæ ascribitur morali, tanquam revera & κατὰ eundem produxisset. Exemplo res, ut facilius intelligatur, declaranda est, siquidem iudice Terentiano, doctissimo, savissimoq; (ut Virum laudat Taubmannus ad Culic. Virg. v. 49.) Grammatico:

Exempla solent sensibus admovere lucem, p. 2385. edit. Putsch.

Sit aliquis, v. c. qui in necem inimici jussu alterius conspiret: porrò alius, qui de modo internecionis consultus, ejus rei tamen penitus ignarus, consilium Autori suppeditet: uterq; , & qui jussit, & qui consilium suppeditavit, causa est moralis, sed diverso respectu: hic per accidens, ille per se. Intenderat enim ille internecionem, & sic ad eandem aliquid contulit: hic non eo fine consilium dederat, ut inimicus occideretur; nihilominus, quoniam consulens consiliò ejus usus est, per accidens ad interitum & occisionem concurrat, ità ut effectus eidem κατὰ συμβεβηκός imputetur.

*Restriçtio
causa moralis
per accidens.*

§. 3. Neq; tamen posterius, ultrà, quam fas est, extendi debet. Nam i. non statim furti, vel homicidii reus est, qui citra intentionem de furto vel homicidio commodè perpetrando, ut fert occasio, verba facit. Imò nec ille quidem, juxta sententiam Cl. Slevogti, qui svasit aut probavit homicidium actione homicidii teneri aut obligari potest, nisi consilium, vel consensus effectum suum habuerit, quod ipsum ex Harprechto, & Theodorico, Ictis celeberrimis ulterius declarat, l. c. §. 27. p. 708. Sed ultimum hoc in foro Theologico non procedit: quin, si accuratè loquendum, ne in Politico quidem. Nec est, quod dicant, effectum, ut alicui, ceu causæ morali, imputetur, adesse debere; aliàs neq; bonum, neq; malum moraliter, nec laude nec vituperio, nec præmio nec pœnâ dignum censerì posse quenquam: est enim λήψις τῆς ζήτησεως, partim in eo, quod imputatio ad bonitatem aut malitiam pro ratione moralis causæ venditatur formali, quo de supra, cap. VI. §. 5. partim

MORALI.

partim quod præmiò aut pœnâ, hoc est, imputatione dignum
minimè censeant, eum, ad cujus consilium effectus immedi-
atè non sequatur. At enim verò qui in caput Regis aut Prin-
cipis, ut è medio tollatur, conspirant, nonnè consilium de
Rege ineunt tollendo? Eveniat nunc, ut occulta hujusmodi
conjuratio, antequam effectus opere ipsò sese exerat detega-
tur; in controversiam res veniet: an scelerati hi supplicio ali-
quò puniendi? Ex adversæ partis sententiâ, minimè gentium
Judici hoc erit statuendum, quin absolvendi prorsus, cum
neq; bonus neq; malus, neq; nec præmio, nec pœnâ dignus
censeri possit is, ad cujus consilium effectus non accessit. Quæ
ipsa an omne mereantur punctum ipsi viderint. Sexcenta in
contrarium nobis judicia, unica suppeditare posset aula Bri-
tannica, quæ à *Steidano*, *Thuano*, *Meterano*, aliis relata legi-
mus, audimus. Sed de his aliorum esto judicium. Aliàs fal-
sum est, neq; bonum neq; malum esse, qui vel per se, vel pera-
lium intendit homicidium, etsi intentioni eventus non respon-
deat. Nam sufficit destinatum consilium, & spontanea
προαίρεσις, in qua *τὴν μοχθηρίαν, καὶ τὸ ἀδικεῖν* consistere
docet Philosophus *lib. I. Rhetor. c. XIII.* Neminem autem, quod
præeligit, ignorare, & experientia monstrat, & eodem libro
testatur divinus Magister *c. X.* Unde ab eo, quod spontaneè &
consultò injuriam quis alteri intendit facere, principaliter in-
justus dici potest & debet, ut benè observat *Cl. Wendelinus*
Phil. Mor. lib. I. c. XXVIII. q. 1 §. 20. p. 910. 2. imputari aliquid ali-
cui primò statim intuitu non debet, cum ejus effectu conjun-
gitur quippiam, quod non intendit, nisi circumstantiæ quæ-
dam & *προλήψεις* interveniant. Occurrit autem imprimis
circa imputationem, libertas imputantis duplex: vel *juris*;
cùm quis consideratis circumstantiis, & imputare, & non im-
putare factum alicui potest, ut tamen neutro modo in jus &
leges impingat: vel *facti*; quando alicui nullò non jure factum
imputari potest, nec tamen de facto imputatur, qua de re pro-
lixè *D. Schmidius*, Theologus apud Argent. insignis, *Diss. de*
Imputat. §. II. Ità mittat quis, *v. c. tabellionem cum literis Lipsi-*



DE CAUSA

am, eò quidem tempore, quò nulla prædonum latronumq; vis, in publicâ viâ metuenda, ut pecuniæ debitam sibi summam impetret. Quod si jam iste, qui missus est, in manus latronum armatas incidat, ab iisdemq; interficiatur, institui potest quæstio: Utrum, qui misit, interficiendi eum, quem misit, sit causa moralis? Responderi potest, itineris suscepti causam in genere morum *per se* mittentem fuisse: occisionis autem non nisi *per accidens*: quia præter ejus motionem moralem ad impetrandam pecuniam, intercessit aliud, quod neq; intendit is, qui misit, neq; eum in finem ad proficiscendum causam physicam impulit; unde culpa eidem attribui nequit.

*Differentia
causæ moralis
à causa per
accidens phy-
sica.*

§.4. Attendendum proinde ante omnia ad caput rei, qui causa in genere naturæ per accidens ab ea, quæ in genere morum conspicitur, distingvatur? *Dupliciter* vulgò considerant causam per accidens: *ex parte causæ, & ex parte effectûs*, quam distinctionem ex iplo deducunt Aristotele, *Ebelius Comp. Met. Diss. X. §.9. p.149. Homborg. Disp. Met. VII. §.24. alii.* Illò modò causa dicitur κατὰ συμβεβηκός, à qua, ut tali, directè non pendet effectus: seu, ut alii loquuntur; quando, quod causæ accidit, causa esse dicitur. Quomodo & illa definitio fortean intelligenda, quam *in Com. ad art. brev. Lull. part. 3. p. 813.* proposuit *Hen. Corn. Agrippa*, quod aliquò judiciò ex se non importet necessitatem effectûs subsequentis. Et sub eò respectu non differre ajunt causam moralem à causa per accidens: quia homo tecto ignem applicans, combustionis causa dicitur, licet non ipse, sed ignis comburat domum: ut sic homo moraliter agat, respectu subjecti, hoc est, in ordine ad seipsum, quod virtus illa causandi moraliter per accidens ipsi insit, quatenus applicat, & ex parte causæ, quia illa combustio non procedit ab homine, ut tali, sed ut ab incendiario. Ast falsa veris, mala bonis admixta, quis non animadvertit? Nam respectus ille nihil addit causæ morali, sed causæ duntaxat per accidens, cum accidat, hominem musicum esse pictorem, accidat ἢ ἀνδριανῶσι ποικίτω εἶναι, quò usus est e-
xemplò

MORALI

exemplò Philosophus, *lib.V. Met.c.II.* & alibi. Exhinc autem non sequitur causam moralem citra hunc respectum non dari, sicut non datur causa per accidens. 2. Nulla est connexio in his: Virtus causandi moraliter per accidens inest homini. E. virtus causandi moraliter est causa per accidens ex parte causæ; quia aliàs pari Logicâ colligere liceret, de virtute ambulandi, loquendi, scribendi, quod ἀλλοιον, sit κατὰ συμβεβηκός ex parte causæ; id quod tamen non procedit. Magis itaq; tolerandum viderur, quod statuit *Cl. Felwingerus*, hominem nimirum ignem tecto subjicientem, causam esse moraliter subjectivè: formaliter causam ut applicantem: & per accidens combustionis ex parte causæ, *Disc.de Caus Mor. §. 8.* qui causarum concursus distingvendus, non confundendus est. Deinde *hòc modò* ex parte effectus causam dicunt per accidens, cum cujus effectu conjungitur aliquid, quod ipsa non intendit: seu, ut describit *Homborg. l.c. §. 27.* dicitur respectu alicujus, quod cum effectu per se producto coheret, ità tamen, ut in illud per se non influat, aut illud non intendat, vel neutro modo attingat. Et sic ab eadem variis modis distingvi potest causa moralis, primariò quidem ea, quæ est per se, *δευξέρως* autem, quæ est per accidens. Nam (1) *causa per se in genere morum*, cum intentione est conjuncta: *causa per accidens physica* non item. (2) Hæc per propriam entitatem ad effectum concurrat: illa nunquam. Causa autem per accidens moralis, ab ea, quæ est in genere naturæ secundum nonnullos differt, ut causa moralis per accidens esse possit id, quod causa est in genere naturæ per se, quæ vulgata est sententia, non tamen per omnia vera. In eo igitur potius distinctio collocanda, quòd causæ per accidens physicæ effectus, qui præter intentionem operationi ejusdem se adjungit, immediatè eidem adhæreat: moralia autem agenti non nisi mediante physicâ causâ.

§. 5. Litem hic nobis movent, tum, qui causam in genere *Rejicitur con-*
morum per se, ad causam per accidens physicam revocant: *traria sen-*
tum, qui agens morale per accidens dari, inficiantur. *tentia.*
Priori modo Ruvio in lib. II. Phys. tr. 4. q. 1. n. 5. p. 184. Slevogt. l. c. §. 15. p.

DE CAUSA

702. *Stal. Comp. Met. c. 12. p. 155. Homborg. l. c. §. 36.* causam physicam per accidens, in genere morum causam per se, absolvere posse statuunt, ita, ut idem sit aliquod esse causam moralem per se, & physicam per accidens: quamvis non uno omnes sese explicent modo. Meo iudicio, ansam huic sententiae dedit *Svarez. Disp. Met. tom. 1. Disp. XVI. §. 2. n. 6. p. 402.* ubi asserit, divisionem causae in physicam & moralem, physicè seu Metaphysicè considerando, revocari posse ad causam per se, & per accidens: *Nam causa, inquit, verè efficiens physicè, solum dicitur de causa per se: causa autem, quae moraliter tantum, seu imputativè causat, physicè considerata, tantum est causa per accidens, cum per se ac vere non influat.* Hunc κατὰ πρόδα, ut in aliis, ita in hoc negotio secutus est, *Homborg. l. c. Drejerus Disp. VI. in prim. Phil. §. 14. p. 103. & ex parte Ebelius comp. Met. Disp. X. c. 1. §. 1. p. 150. & in Colleg. Met. part. Gen. Disp. XXIV. §. 2. art. 1. p. 414.* Unde aliqui eò usq; progressi sunt, ut negarent causam moralem veram esse causam, quam sententiam, suam, nescio quo schemate, nuper fecit *Kilian. Rudrauff. in Curs. Met. D. X. quest. 6.* dum causam eam esse, & non esse satis dubiè contendit. Et nuperimè Philosophiae quidam apud Rintelenses Professor, eandem defendit opinionem, & ex ea collegit, posse aliquam esse causam in genere physico per accidens, & per se in genere moralitum vicissim in hoc per accidens, & in illo per se, *Epitom. in prim. Phil. Disp. VI. §. 20. p. 90.* Posteriori respectu sunt qui negent, *Causam per accidens dari moralem*, idq; dupliciter: 1. quia quatenus est per accidens physicè, non cadat sub scientiam, ut vult *Svarez. l. c. p. 403.* E. multò minùs, quatenus est per accidens moraliter, sub scientiam cadere poterit. 2. quia intentio & imputatio Sapientum in eadem desideretur. Ità Vir Doctus *Disp. 2. de Caus. Mor. §. 31.* Sed & prius & posterius ἀπλῶς tolerari nequit. Nam de priori certum est, contrarium esse Philosopho *Svarezius*. Ille enim cum *lib. II. Phys. c. III. tex. 30.* exposuisset πολλὰ χῶς λεγομένων ἴων αἰτίων, πολλὰ τῶ ἀντὶ αἰτία εἶναι, & κατὰ συμβεβηκός, exemplum inter alia subjicit, quod idem aliquando contrariorum causa sit: ὁ γὰρ παρὸν, inquit,

MORALI

inquit, *αἰτιον, τῶδε, ἴστο καὶ ἀπὸν, αἰτιώμεθα ἐνίοτε ἴσ' ἐναντίον*,
 id quod per *ἀπυσίαν ἴσ' ἐναντίον* probat. Videant itaq;,
 qui eodem exemplō utuntur, ne, dum pro Aristotele facere vi-
 deri volunt, contra eundem faciant, quando absentiam gu-
 bernatoris, eversiois navis causam in genere naturę per ac-
 cidens statuunt. Enim verò cum tria potissimum sint requi-
 sita, quę ad *ἀλλιον καὶ ἀσυμβεβηκός* supponunt Eruditi B.
Scharff lib. 2. Met. Exempl. c. 4 p. 127. alii, (1) ut physicè, hoc est,
 per propriam entitatem in esse causati influat: (2) ut accidenta-
 riō ad causatum concurrat modō: (3) ut præter ejus vim & in-
 tentionem effectus, propter interveniens aliud, sequatur: neu-
 trum ex his, cum causa per se morali, ex asse, ut debebat, con-
 venit. Nunquam certè causa in genere morum per se, citra cau-
 sam physicam, in esse influit causati nunquam accidit ea cau-
 sato, nisi & finis ipse accidentariō modō ad effectum concur-
 rere dicatur: quod si esset, calu atq; *ἀπὸ συμπῶμα* fierent
 omnia, quam sententiam latè refutat Aristoteles *lib. II. Phys. c.*
VIII. & ex eo *Joh. Magirus Physiol. l. 1. c. 3. in Comm. p. 45.* nunquam
 deniq; præter vim causę per se moralis effectus sequitur, cum
 eum ob finem motione reali adegerit agens | physicum mo-
 ralis causa. Applicentur jam ista ad exemplum gubernatoris, &
 nihil erit planiq; nihil explicatiq;. Adde, quod hōc modō, omnis
 causa in genere naturę per accidens, degenerare in causam per
 se posset moralem: & sic tegula de tecto decidens in caput præ-
 tereuntis, moralis esset causa vulnerationis ejusdem: quī
συμβεβηκός interficit alium, moraliter ageret, quibus par-
 tim causalitas, & attributa moralis agentis, partim

ratio reclamat vera, negatq;

Credere posse animum; ut cum Lucretio loquar, lib. I. v. 616.

§. 6. De posteriori res adeò expedita non est. Nihilomi-
 nus si ritè expendantur omnia, nullō negotiō *Φοβίνα* à illa solvi
 poterunt *ἀνδρῶμα*. Quod enim sub scientiam causam per
 accidens cadere negat Jesuita, id intelligendum est de iis, quę
 directè in Scientiis, & per se tractantur. Jam verò si de his
 duntaxat in Scientiis agendum foret, quę per se illis insunt, u-
 tiq;

*Datur Causa
per accidens
moralis.*

DE CAUSA

tiq; aut multiplicandæ forent disciplinæ, aut ne quidem ad cognitionē admittenda cætera. Similiter illi faciunt, qui Propriū & Accidens ex Prædicabiliū exturbant numero, propterea quia directè non afficiunt *κατανοήσιος*, quam sententiam acriter defendunt *Keckermann. Syst. Log. lib. 1. c. 3. Scheibl. Introd. Log. c. 3. n. 3. p. 99.* & alii, quod dogma confutat *Jac. Mart. Prælect. Extemp. l. 1. sect. pr. c. 3. p. 92.* Quod autem ajunt intentionem & imputationem sapientium abesse à causa per accidens morali, eò ipsò existentia ejus nondū evertunt. Cum enim intentio & imputatio essentiam causæ moralis non ingrediantur, neq; sublatis hisce pereat moralis causa & esse desinat, dicendum utiq; est, falli eos, qui propterea aliquod agens in genere morum per accidens dari inficiantur, quod intentio absit, & imputatio. De imputatione res extra controversiam ferè sita est: siquidem positâ imputatione non statim causa in genere morum ponitur; (aliàs qui alium occidit, ab alio non motus, moraliter ageret, eò, quod cædes ipsi imputetur) nec sublata eadem, desinit moralis causa. Intentio autem negata, nihil impedit, quò minus per accidens in genere morum ad effectum aliquid accedat. Enimvero Haman ab Ahasvero consultus, de ornando & honorando eo, cui Rex benè vellet, consiliò suò per accidens causa moralis erat honorati Mardochei, quod tamen minimè omnium intenderat, *Esth. VI. v. 6.* Ceterum quod *Stalius, Homborg. ll. cc.* cum nonnullis asserunt, causam per se physicam in genere morum per accidens fieri, fundamentò destituitur. Nam dum lignifisor adstantem à tergo securi percutit, vera causa est, non diffitente *Stalio l. c. p. 155.* quia tamen non intervenit intentio & voluntas, vel incuria, vel aliud quippiam, quod factum aggravare possit, non moraliter, ut voluere Viri Eruditi, sed physicè pro causa per accidens habendus est, quandoquidem is, qui findit lignum, ad effectum non in genere morum, sed in genere naturæ concurrat. Eòdem itaq; modò ad id, quod præter ejus voluntatem cum effectu conjungitur, concurrisse dicendus est. Et quamvis in aliquibus illud procedere videatur, rectius tamen procedit, & admitti potest in

MORALI

in causa per accidens, quæ & physicè & moraliter talis est; id quod etiam observavit *Cl. Homborg. l.c. §. 36.* quò sensu exemplum; quod de tabellario §. 3. produximus, capiendum.

CAPUT IX.

§. 1. Causam Efficientem generatim in *internam & externam* partiri solent Philosophiæ primæ Doctores; *Scheibler. lib. 1. Met. c. 22. tit. 12. n. 134. p. 291. Stal. Disc. ad Tab. Met. VI. Div. 5. p. 55.* & in *Comp. Met. l.c. Div. 9. p. 163.* aliq; Recentiorum. Quæ distinctio ansam nobis dedit dividendi causam moralem in *internam & externam*; quanquam paulò aliò sensu, atq; illa, hæc distributio debeat intelligi. Nam prior ab aliquibus ad principalem pariter, & minùs principalem, hoc est ad Efficientem $\gamma\epsilon\nu\iota\kappa\omega\varsigma$ consideratam extenditur: ab aliis verò ad eam duntaxat, quæ minus principaliter agit, ut ità divisio hæc primariò non Efficienti in se considerata, sed impulsivæ conveniat causæ. Prius *Stalio l.c.* posterius *Timplero* placuit, *lib. 3. Met. c. 2. theor. 38. p. 210.* quem sequuntur plurimi, & inter cæteros, *D. Petrus Musæus, Instit. Met. c. XVI. §. 4. p. 309. edit. nuperr.* Definiunt internam, quoad generaliter Efficienti convenit, quod ejus effectus sit in eòdem subjecto, in quo est ipsa; seu *quod producat effectum in se*, ut loquitur *Stalio Disc. ad Tab. l.c.* externam, quæ non est in eodem subjecto, in quo est effectus: seu brevius; *quæ producit effectum extra se.* Sed hæc definitiones Morali non conveniunt causæ, quandoquidem Physicam tantummodò concernit causam utraq;. Propius accedunt $\delta\epsilon\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ internæ & externæ causæ, qui à causa impulsiva derivantur. Itaq; definit doctissimus *Musæus l.c.* causam impulsivam internam, quod sit, *quoddam in agente cognoscendi vi prædito inexistens principium, quò appetitus ipsius ad agendum excitatur*: externam autem *l.c. §. 17. p. 316.* quod sit *principium sub ratione boni vel mali, ad agendum movens.* Ab hac motionis distinctione Græci illam $\pi\rho\sigma\eta\gamma\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\nu$, hanc $\pi\rho\sigma\alpha\lambda\acute{\alpha}\rho\chi\sigma\tau\alpha\nu$, seu $\pi\rho\sigma\alpha\lambda\acute{\alpha}\rho\chi\eta\eta\nu$ vocarunt, propterea quod illa in Efficienti intus, hæc verò extra efficientem est, ut visum *Keckermanno Syst. Log. lib. 1. c. 15.* seu, quod placet *Jac. Martini*, quoniam prior dis-

Divisio II.
in internam
& externam.

F

ponit



DE CAUSA

ponit effectum intrinsecè; posterior anteriorem movet, & iri-
tat ab extra, unde & *irritatrix exterior* eidem dicitur, *lib. 1. Met.*
Exerc. 4. th. 5. div. 9. p. 179. & in Praelect. lib. 1. s. pr. c. 15. p. 189.

Definitur u-
triusq.

§. 2. Ætiam ergò in collem (quod est in proverbio) dedu-
cimus, quamplurima in pauca contracturi. Nam *causa mo-
ralis interna* definiri commode potest, quod sit *efficiens, quæ
motione reali intrinsecâ, subjectum, cui inexistit, ad agendum in-
stigat atq; excitat. Externa verò, quæ motione simili extrinseca,
subjectum à se diversum, ad producendum effectum stimulat atq;
impellit.* Duo hanc in rem circa utramq; causam supponi-
mus, 1. causam moralem dici internam, quia est in supposito,
quod simul agere potest physicè; & externam, quod sit extra
tale suppositum. 2. distincta dari in utrâq; motionis principia.
Internæ enim non repugnat simul esse causam physicam &
moralem: externæ contra quàm maximè. Rationes hujus rei
à diversis diversæ suppeditantur; quarum partem discussimus
suprà c. VII. §. 2. Optima nobis illa videtur, quæ docet, unum i-
demq; suppositum ad eundem numero effectum ob principia
agendi distincta concurrere. Nimirum qui ex iracundiâ aut
odiò colaphum infligit alii, ad eundem effectum dupliciter
concurrit, in genere morum, & in genere naturæ. Priori mo-
dò iracundiâ suscitatus, motione morali intrinsecâ ad effectum
producendum quicquam contulit: posteriori obtemperando
affectibus suis executus est, quod animus jussit iratus. Ele-
ganter hæc ab *Homero* (quem divinum hominem, nihil in cælò,
in terrâ latuisse, affirmat *Maximus Tyrius* (Philosophus inter
Platonicos insignis, *Dissert. XVI. p. 155.*) & ad oculum expressa
sunt, quando Achillem iracundiâ percitum, impetum in Aga-
memnona minitantem introducit, nociturum strictò jam fer-
rò, nisi inhibuisset *Minerva*, de qua Poeta, *lib. I. Iliad. v. 198.*

Στῆ δ' ὀπίθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἔλεπην λείωνα.

Unde postmodum consultationem quasi quoddam apud ani-
mum suum instituit Achilles, an evaginato gladio *Ἀτρείδην ἐνα-
ρίζοι. Ἡὲ χόλον παύσειεν ἐρηύσειέ τε θυμόν;* Ubi ad rem *Jo Spon-
danus Comm. ad h. l. p. II.* Certamen istud, inquit, in Achille fuit Ra-
tionis,

MORALI

tionis, & partis irascibilis: illa iræ moderationem suadebat, hæc ad vindictam stimulabat. Exitus quoq; certaminis duplex fuit. Nam ab ira primum Ratio superata est, deinde à ratione ira. Rationem enim per Minervam liceat Allegoricè interpretari. Hæc ille. Unde Philosophus lib. III. Eth. cap. XI. οἱ μὲν ἔν ἀνδρείοι, inquit, διὰ τὸ καλὸν πράττειν, ὁ δὲ θυμὸς συνεργεῖ αὐτοῖς: quæ Luculentius in Paraphrasi exponit Andron. Rhodius, p. 169. Alienum ab hoc negotio est exemplum, quod adfert Vir Clarissimus in Instit. Metaph. c. XIII. §. 15. p. 136. qui innocentem suâ manu occidit, ita est *causa physica* homicidii, ut simul sit *causa moralis*, quia ipsi recte imputatur homicidium hōc ipsō, quod sciens & volens illud commisit. Nam pari ratione, qui sciens & volens ligna findit, scribit, pingit, aliasq; hujuscemodi peragit operationes, causa simul erit physica & moralis.

§. 3. Sed hic de duobus in primis disceptari potest: *Quæ causa dici queat interna moralis, cum tamen sub externa duntaxat contineatur causa?* ut prolixè c. IV. §. 3. ostensum est: tum; *an causa impulsiva, & quomodo cum agente coincidat morali?* De primo res est facilis. Ut enim in contrarium quidam argumententur: *Omnis causa efficiens est externa. Causa moralis est Efficiens.* E. responderi tamen potest per distinctionem, aliud esse, quando hæ voces internum, & externum causis tribuuntur in genere: aliud quando certæ alicui ex causis speciei; quippe externum dupliciter dici solet, (1) *ratione essentia*, quatenus eandem non ingreditur, nec intrinsecè, tanquam pars componens constituit. & hōc modō internum ἐξ ἐν αὐτῷ dicitur, quod essentiam & ingreditur & tanquam pars constituit & componit. Quo sensu verum est, omnem causam, quæ Platoni dicitur τὸ ὑφ' ἧς, id à quo res est, autore Plutarcho, aut si quis alius Autor est, lib. 2. de Placit. Phil. c. 11. hoc est, efficientem causam esse externam, cū in esse rei ab intra non ingrediatur. (2) *ratione loci aut subiecti*, quatenus extra subiectum est. Huic opponitur internum, quod subiecto inest, non quidem ut pars, sed ut adjunctum. Et sic causa dicitur externa, quæ extra subiectum in alio producit effectum: interna, quæ in eo ipso, in quo est, subiecto, operatur, & causa-

asua Cruta D
moralis in-
terna.



DE CAUSA

litate suam exercet. Priori respectu, & ipsa causa efficiens quam internam posteriori modo dicimus, externa est, cum extra essentiam rei sit posita. Communis hæc responsio petita est à Zabarella lib. 1. de Prop. necess. c. X col. 365. & repta à Scheible-
ro Topic. c. 3. tit. 13. q. 1. n. 130. p. 244. & Stalio l. c. p. 164. nisi quod hic in Discurs. ad Tab. Met. l. c. pro eo, quod ratione essentia internum dicitur aliis, *comparatione effectus* internum appellat. Sed utrumq; in idem recidit. Falluntur ergò, tum qui ista non distinguunt; tum qui fundamentum Efficientis internæ, causam negant immanentem.

Utrum con-
veniat causa
moralis cum
impulsiva?

§. 4. De convenientia autem causæ moralis cum causa impulsiva non una omnium est sententia. Nonnulli ad impulsivam referunt agentia in genere morum, cui sententiæ accedere videntur Heereboord. Vol. 2. Melet. Phil. Diss. 16 §. 7. p. 243. & in Coll. Log. Diss. 10. tb. 38. p. 15. & ante hunc Franc. Burgersdicius, Instit. Log. lib. 1. c. 17. theor. 24. §. 1. p. 74. Maccov. lib. 1. Met. c. 13. p. 147. alii. Iste quidem l. c. causam προαγαπητικήν, sive προαγαπητικήν quadrupliciter distribuit: ut sit vel objectum, vel occasio, vel Autor, vel meritum. Autorem dicit, qui causam principalem, propositis rationibus ad agendum hortatur, aut ab agendo dehortatur. Vocatur, inquit, etiam causa moralis. Neque prorsus alienum ab hac sententia arbitror fuisse Clariss. Sonerum, cum scriberet, causam impulsivam aliquando esse efficientem, ut qui dedit consilium, & persuasit: aliquando finem, ut pecuniæ acceptio, aut penuria, causa impulsiva est perfectionis, Com. in lib. V. Met. c. II. p. 280. Nonnulli contra impulsivam à causa morali multis modis distinctam esse iudicant: quæ opinio communis est & vera. Observandum autem cum primis est, non uno respectu causam dici impulsivam. Nam 1. accipi solet pro impulsu naturali, aut violento, partim corporum, quando lapis aut ferrum aliud corpus grave impellit: partim appetitus, qui potentiam in homine aut brutis locomotivam, promovet aut impellit. 2. pro causa finali, quatenus per sui cognitionem Causam Efficientem ad agendum impellit. Sed tamen rarò illud fit, cum neq; omnis causa finalis

lis

MORALI

lis sit impulsiva, neq; omnis impulsiva finalis. Unde licet nonnulli, inter quos primas tenet *Paul. Voet. Phil. pr. Ref. c. XX. f. 4 n. 4. p. 497.* finem veram & realem causam esse inficientur, nisi in quantum sub causa Efficiente minus principali contine- tur, & cum Efficiente procatartica, vel προηγουμένη coinci- dit, & confunditur: falsum tamen illud est, quod finis sit spe- cies Efficientis, cum causa ab eadem sit diversa, tum ob ratio- nem causandi, tum ob causalitatem distinctam. Nam moti- onem metaphoricam non Efficienti, sed soli convenire cause Finali certum est. Unde Philosophus expressè *lib. I. de Gen. & Corr. c. VII. tex. 55* Ἔστι δὲ, inquit, τὸ ποιητικὸν αἰτιον, ὡς ὁ θεὸς ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τὸ δὲ ἕνεκα ἡ ποιητικὸν διὰ ἡ ὑψίτατα ἡ ποιητι- κὸν εἰ μὴ κατὰ μετὰφοράν. Quem locum variè variè expo- nunt. *Scaliger* illud κατὰ μετὰφοράν, per similitudinem ve- rorum motuum exponit, *Exerc. 307. f. 25. p. 969.* *Conimbricen- ses* in II. *Phys. c. VII. q. 21.* per attractionē non veram & realem, sed quasi affectivam, & ideò metaphoricam; quod alii sic effe- runt; finem non movere efficiendo, sed tantum a trahendo & invitando, per ostensionem suæ bonitatis. Ità *Cl. Homborg. Disp. Met. X. §. 46. Heereboord. Coll. Log. D. sp. IX. th. 34. p. 14.* moti- onem vocari ait metaphoricam, non quod non sit vera motio, sed quod non sit physica immediatè in causatum tendens: quod prolixius exponit *Vol. 2. Melet. Disp. XXIII. §. 4. p. 265.* Reji- cere tamen videntur has explicationes *Ruvio* in *lib. II. Phys. tr. 5. de caus. Fin. q. 3. n. 27. p. 227.* *Job. Casus ad lib. II. Phys. c. III. q. 4. p. 257.* & alii. *Burgersdicius* componere litem satagit, dum distin- git inter finem primò cognitum; atq; intentum: priori mó- do finem non esse causam finalem, sed objectum, seu causam objectivam, quæ species est causæ procatarticæ: posteriori ve- rò quoniam finis efficientem ad deliberandum de mediis mo- vet, veram exercere causalitatem, *Instit. Log. lib. I. c. XVIII. the- or. 2 §. 1. p. 79.* & addit porro *p. 80.* Causam procatarticam dici re- spectu earum operationum, quæ ab illa immediatè exercentur: causam finalem respectu aliarum operationum, quæ ab illa sunt priorum interventu. Sed hæc nodum rumpunt, non sol- vunt.

DE CAUSA

vunt. Rectius illi, qui dicunt finem non ποιητικῶς, sed ὀριστικῶς per modum definitionis, seu destinationis, aut determinationis, agens principale ad agendum commovere. Atq; ita inter alios bene distingvunt *Timpler. lib. III. Met. c. II. probl. 36. p. 244.* & ex eo *Goelenius in Concil. Phil. Part. 1. tit. 22. n. 5. p. 140.* Quò sensu verum est, quod ait *Pererius, lib. 8. de caus. c. 2.* & cum eo *Stal. in Reg. Phil. tit. 7. reg. 5. p. 175.* finem dare bonitatem amabilitatem, mensuram, & ordinem mediis, quatenus sui amore ac desiderio, efficientem ad hoc potius, quam at illud peragendam destinat ac determinat. Sed abundè cupressum in alia re simulavimus. Ita q; 3. non rarò causa impulsiva, quæ, ad agendū causam impellit liberam pro agente morali usurpatur: & ita *Timplerus l. c.* impulsivam movere ait, principale agens, non propriè, sed impropriè, nempe vel con sulendo, vel svadendo, vel aliò quodam modo. sed ut de his melius & accuratius judicemus πάλιν ὡσπερ ἐξ ὑπαρχῆς ἐπανίωμεν ut cum Philosopho loquar, *l. II. de Anim. c. I. tex. 1.*

Differentia
moralis cau-
se ab Impul-
siva.

§. 5. Proinde, quod impulsiva, quam internam vocant, à causa morali distinguatur internà, sic ostendimus. Nam medici causam internam dupliciter distingvunt, in προηγμένην specialiter sic dictam, quam antecedentem vocant & συνεκτικὴν, quæ nihil quidem efficit, sed aliquid jam factum sustentat & fovet. Depromunt hanc distinctionem ex *Galeno lib. 2. de sanit. tuend. c. 2.* *Scheiblerus lib. 1. Met. c. 22. tit. 12. n. 137. p. 292. Stal. comp. met. l. c. p. 163. alijs.* Sed 1. recte observatum est ab iisdem, causam antecedentem, qualis v. c. est κακοχυμία, vel πληθώρα humorumq; in corpore humano pravorum redundantia, proprie non esse causam, quoniam causalitate destituitur, licet non absit ratio causandi. At hæc causam in esse suo non constituit, sed disponit duntaxat. Unde philosophus noster licet causam distribuatur in illam, quæ est δυνάμει, & quæ est ἐνεργεία, ut passim videre est, denominationem tamen τῶν ψεκῶν, ἢ φευκῶν, à potentia aut facultate desumendam vetat, *lib. IV. Top. c. V. §. 10.* Demonstrat id exemplis σοφ. 58, διαβόλῃς & κλέπτῃς; quod si enim quis Sophistam dicat τὸν δυνάμενον ἀπὸ φαινομένης

νης

MORALI

νης σοφίας χρηματίζεσθαι, aut calumniatorem τὸν δυνάμενον διαβάλλειν, καὶ ἐχθρὸς ποιεῖν τῆς φίλης, aut furem τὸν δυνάμενον τὰ ἀλλότρια λάτρεα κλέπειν, fallitur. Οὐδεὶς γὰρ, inquit Aristoteles, τῶν εἰρημένων τῶ δυνάτῳς εἰσιὰ τῶ τῶτων ταιστὶ λέγεται; aliàs Vir probus esset improbus, cum & ipse δύνανται habeat patrandi & peragendi mala. Et sic ὁ φθαλμοφανερώς interna hæc Medicorum causa, à causa differt morali, quæ licet subjecto inexistant, causalitate tamen suâ, hoc est motione verâ & reali non destituitur. 2. Continens, seu causa συνεκτικὴ ut ut diversimodè explicetur, vera tamen causa est, si pro ὁμόγῳ simul cum morbo existente, eiq̄, immediatè adhærente, accipiatur. Et sanè speciem habere videtur alicujus cause conservantis, quæ vera utiq̄; causa est, nequicquam contradicente *Timpero lib. 3. Met. c. 2. Probl. 47. p. 251.* At causa moralis interna non fovet aliquid, sed producit primò per agendi movendiq̄; potentiam sibi insitam. Nam cum tria potissimùm in anima reperiantur, πάθη, δυνάμεις & ἐξεις, juxta Philosophum *lib. II. Eth. c. IV. lib. I. Magn. Mor. c. VII.* non quodvis ex illis principiis ad motionem facit moralem, multò minùs ad causam Impulsivam. De habitibus enim obscurum est, an ii aliquid ad motionem conferant. Eruditè *D. Musæus instit. Met. c. XXVI. §. 6 p. 310.* de habitibus, inquit, res dubia est, quia non tam excitant & impellunt appetitum determinatè ad hanc vel illam actionem, quàm confusè ad omnes actiones ejusdem speciei inclinant, & disponunt. Facultates autem potius subjectum sunt recipiendi motionem, à principio diverso productam. Hinc δυνάμεις appellat *Aristot. I. c. καθ' ἃς παθητικοὶ τῶτων* (affectus intelligit) λέγομεθα οἷον καθ' ἃς δυνατοὶ ὀργισθῆναι, ἢ λυπηθῆναι, ἢ ἐλεῆσαι. Relinquuntur ergò affectus, qui quantam in impulsione vim habeant, neminem facilè latere potest. Etenim *quasi aves pennis, ita homines affectibus ad destinatos rapiuntur cursus,* inquit *Cassiodorus lib. 8. de Eloq. Sac. & hum. c. 2.* Sed horum vis partim vulgò cognita, partim singularibus libris, à doctissimis nostri seculi ingeniis, *Wegero, Profess. quondam Regiomontano, Gutberletho, Lelio Peregrino,* aliis exposita

DE CAUSA

posita est. Nihilominus remotius & hoc est principium, quam ut semper motionem absolvere queat moralem, licet non raro illud fiat, praesertim si vehementiores respiciamus affectus, quos inter, cum ira & amor, tum misericordia quoque jure refertur, quo sensu dictum est à Poetarum Principe, (cui ob sublimem Spiritum, & profundissimam eruditionem, in *Θαυμασίω Poeticis* opere, aram ponit, *Scaliger*) *lib.V. Æn.v. 453.* de Entello in pugna prostrato:

*At non tardatus casu, neq; territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitatur ira.*

Itaque actionum humanarum in subsidium vocanda principia, à quibus proximè dependet actio: nam aliàs εἰνε ἀνθρώπου εἶναι αἰχὴ τῶν πράξεων, ut loquitur Philosophus *lib.III. Eth.c.III.* Talia sunt potissimum *electio, consultatio, & voluntas*, quæ ipsa actionum causas esse in confesso est: de quibus latè Moralium Doctores. Elucet autem ex his aliò modò isthæc principia competere causæ impulsivæ internæ, aliò agenti morali. Impulsiva, ut observat *Petrus Musæus l.c.§.10.p.311.* respectum ad duo habet, tum ad *appetitum*, quem impellit, tum ad *actionem*, quæ impellente ipsâ ab appetitu oritur. Priori modò causa προηγμένη tanquam forma se habet ad objectum, quoniam appetitus per sui cum impulsiva unionem, ad certam actionem excitatur formaliter ac determinatur. Atque hòc modò verum est, quod dicitur, appetitum irascibilem per iram sibi inhaerentem formaliter esse ad vindictam determinatum, quandoquidem *ira* nihil aliud est, quam ὀρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτὸς τινὰ μὴ προσηκόντιος, ut definit *Aristoteles l. II. Rhet. c. II.* Posteriori modò speciem duntaxat gerit causæ Efficientis, cum actio ab antecedanea in genere formalis causæ causalitate pendeat. Utroque respectu cum agente interno in genere morum non convenit. Nam causa moralis neque cum fine, neque cum forma coincidit. Impulsiva autem ad finem non raro solet reduci, & per hoc, quod finis cum forma sæpè permutatur, ut ex *lib. XII. Met. c. IV.* apud Philosophum apparet, & præ-

MORALI

& præsertim ex lib. II. Phys. c. VII. tex. 70. τὸ μὲν γὰρ τί ἐστὶ, καὶ τὸ ἔνεκα ἢ ἐστὶν, inquit Philolophus: cum formali ponitur & convertitur causa. Itaq; motio ejus partim est objectiva, partim impropria & metaphorica. Ab utraq; moralem causam profluere, & derivari posse, supra negavimus, c. VI. §. 1.

§. 6. Atqui major nonnullis causæ in genere morum externæ, cū impulsiva ab extra, seu προκαταρκτικῆ conformitas videtur: quæ nostrò tamē judicio per quā exigua est. Paucis: motio cause hujus nulla est alia, nisi objectiva. Nam movet agens principale ad agendum tanquam objectum alicujus perse ex petendi actus. adeoq; cum actus, qui propter se appetitur, finis formalis sit, non potest non objectum ejus esse finis objectivus, secundum eam ipsam rationem, quā ut causa impulsiva ad agendum movet, ut loquitur Vir doctus inst. Met. c. XXV. § 18 p. 316. At num causæ morali talis competere queat motio, judicen quib9, juxta Bibaculum cordarum est Zenodoti, & jecur Cratetis. Sed est de singulis ejus speciebus ἀκριβέστερος dispiciendum. Vulgo quadruplex constituitur, ut supra è Burgersdicio visum §. 4. id quod speciosè confecto declarant exemplo. Si quis v. g. de nocte obambulans, multas res pretiosas in apertis inimici sui observet ædibus, à quo jam antea injuriam passus est non unam, easque alio instigante diripiat, causa furri hujus objectiva res sunt pretiosæ: occasio nox, & patens domus: autor, qui instigavit: meritum illata ab inimico injuria. Ex quo vel solo patere potest, neq; occasionem, quam Græci ἀφορμὴν vocant, neq; objectum, neq; meritum, ex horum quidem sententia ad causam referri posse moralem: sunt enim contradistinctæ sibi species, quas coincidere quis credat? Quin quod nec isti in universum modi sub causa contineantur προκαταρκτικῆ? Et notavit jam olim istam confusionem in Keckermanno D. Jac. Martin. in Præl lib 1. sect. pr. c. 15. p. 190. qui occasionem ad causam reduxit προκαταρκτικῆ. Exemplo sit vulgò notum illud:

Nox, & amor, vinumq; nihil modarabile svadent;

Hic tria occurrunt, nox, amor, & vinum: primum τῆ ἀφορμῆ, cui nulla omninò tribui potest actio; (sicut optimè quoq;

G

Differentia
causa mora-
lis ab impul-
siva externa.

DE CAUSA

quoq; Melanchthon lib. 4. Dial. Div. 9. p. 287. nox, inquit, occasio est, non causa, quæ pluribus eruditè persequitur, in Annot. Strigelius. Alterum κυρίω αἰτίω, tertium περιεργαστικῶς respondet. Atq; in hoc quidem reverà & essentialiter, juxta Jac. Martin. l. c. p. 191. αἰ Φορμῆ & περιεργαστικῆ causa distinguntur. Dixerim ego ab utroq; realiter differre κύριον illud αἴτιον, hoc est, amorem, qui verè in hoc negotio speciem sustinet moralis causæ internæ: nam amor nocturnum observans tempus, καίρω λατρεύει, ut cum Phocylide & Theognide loquar, & juxta hoc efficax est. Interim differri non possumus intercedere & mediare causam impulsivam nonnunquam inter causam physicam & moralem. Quod tamen ita intelligendum non est, quasi influxu omni, etiam διαλεκτικῶς spectato, destituta sit moralis causa, quod visum est, D. Petro Museo instit. Met. c. XIII. §. 38. p. 148. & c. XXVI. §. 23. p. 320. nam influxus mediatu utiq; est influxus, aliàs neq; causæ impulsivæ, quam nonnisi mediatè in effectum influere non negat Vir Doctus, influxus esset detrahendus & derogandus, quod ipsi tamen aliter videtur. Itaq; impulsiva sub ratione boni vel mali excitare quidem potest moralem causam, ut ipsa vi propiore & vehementiore causam ad agendum instiget physicam, nihilominus quod hujusmodi influxum neutiquam causa moralis, sed quæ causæ physicæ per illius actionem applicatur, causa impulsiva externa præstet, id verò est, quod contra eundem negamus.

CAPUT X.

Divisio III.
in principalem & instrumentalem.

§. 1. Dividitur III. causa moralis in Principalem & Instrumentalem, quam distinctionem calculò suò adprobat, deq; meliore notà commendat Joh. Maccov. Metaph. lib. 1. c. 13. p. 142. Et satis accuratè sic dividitur. Nam quod aliis placet divisio in principalem & minus principalem, quam deinceps subdividunt in instrumentalem & impulsivam minus rectè fieri arbitramur. Nam causa impulsiva (de qua jam olim hitem movit Simplicius, ex Phrygia, juxta Suidam oriundus, Ammonij Sacci discipulus, cujus bonæ frugis commentarios aliquot in Aristotelem habemus) aut ad Efficientem pertinet causam, aut non. Si prius, ne ad

MORALI

ne ad divisionem quidem spectabit Efficientis: sin posterius: vel virtute ignobiliori, vel non ignobiliori movet atq; impellit: illò modò causa est instrumentalis, hòc Principalis. Dicitur autem *Causa principalis* in genere morum, *quæ effectum vult, & causam physicam ad producendum eum, propriâ virtute, vel valore, quòcumq; modò movet, ita tamen, ut ipsa realiter in eundem non influat.* Quæ descriptio est *Cl. Slevogti l.c. §. 13. p. 702. & satis bona si ritè explicetur.* Malè namq; alius, *Instit. Met. c. XV. §. 4. p. 163.* Principalem vocat, *quæ propriâ autoritate in effectum influit, aut ad ipsum confert.* Posterius verum, prius apertè falsum est. Ergonè qui propriâ scribit autoritate, & sic in effectum influit, causa hujus effectus erit Principalis in genere morum? Non reor. Ità Rex, vel Princeps non solum legibus, edictis, mandatis, sed & exemplò, virtute propriâ & principaliter ad bonos mores & honestatem impellit subditos. *Principes enim, inquit D. Christ. Matthia Theat. Hist. in Trajan. c. 2. p. 149 prudenti gubernatione, non tantùm profunt Reipubl sed exemplo etiam suò mores civium emendant, sicut Seneca in Thyeste v. 213 pulchrè ait:*

Rex volet honesta, nemo non eadem volet.

Expressè hanc in rem Poetarum *Prægloriosissimus* (utin Veteri inscriptione dicitur) *Claudianus, de IV. Cons. Hon. v. 300.*

-- *Componitur orbis*

Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Adde quæ miraculum illud hominis, *Barthius, absolutissimo Commentario ad b. l. ex variis dedit Autoribus, p. 653.* Ex quibus elegantissimum, elegantissimi *Ovveni ad Jacobum Angliæ Regem* delumptum est Epigramma, *Epigram libro singulari ad Arbellam Stuartiam Epig. 113. p. 86.*

O quanta exempli generoso in Principe vis est?

Tu vitando veras, tu faciundo jubes.

Princeps principium motûs, Rex regula vite,

Circumfert cælum sidera; Rex populum.

En quàm appositè, quàm Philosphicè, Principem prin-

DE CAUSA

tipium, doctissimus Poeta appellavit motus, digito quasi in causam moralem Principalem intentô? Ex adverbo *Instrumentalis causa* in hoc est genere, quæ causam naturalem à se non movet, sed virtute duntaxat principalis. Explicant hoc ipsum varîè varii, *Slevogtius l.c. Heereboord. Mel. Phil. Vol. 2. Diss. XIX. §. 3. p. 251.* aliiq; Sed difficultas hõc in negotiõ est planè singularis. Nam duobus intelligi modis potest causa instrumentalis; in genere naturæ, & in genere morum: Utrõq; respectu controvertitur; An scilicet, *Instrumentum in genere natura agere possit in effectum, prout à causa morali est instigatum? tum, an instrumentum in genere morum admitti debeat, nec ne?* Quod ipsum, ut rectius intelligatur, aliqua de instrumento, ejusq; causalitate repetenda sunt.

Instrumentum esse veram causam ostenditur.

§. 2. Instrumentum itaq; , seu causa instrumentalis, [quoniam hæc eadem sunt, ut rectè observatum *Mendoza Diss. Phys. IX. sect. 12. Phil. à SS. Trin. part. 2. secunda, q. 2. art. 1. Murcia Diss. IV. in lib. II. Phys. q. 12 Heereboord. Vol 2. Diss. XVI. §. 9. p. 244.* aliisq; , quicquid contradicat *Vir magnus Disc. ad Tab. Met. V. p. 54.*] in genere morum non rarò dicitur, quod pro alio aliquo supponitur, vel ab alio quomodocunq; dirigitur ad producendam actionem, ut placet nonnullis, quanquam *α κύρωσ* sæpè secundum alios illud fiat. Et eõ sensu ministrum vocavit *Aristoteles ὄργανον πρὸ ὀργάνων l. I. Pol. c. IV.* Est enim hic membrum quoddam familiæ animatum, & tale instrumentum, quod reliqua inanimata omnia, secundum voluntatem Domini, ad usum dirigit, ut optimè hæc explicat *Job. à Felde in Anal. b. l. p. 35.* & prolixius exsequitur *Heinsius in Paraphr. ad b. l. p. 28.* Sed hõc modò consideratum instrumentum rectiùs ad Efficiens physicum, quàm morale reducitur, cum eidem verus influxus in genere naturæ non possit denegari. *Scaliger* quidem, quem subtilitatis omnis *Magistrum vulgus* vocat, hõc in negotiõ omnem ferè, uti censuerunt nonnulli, subtilitatem excessit, dum ὄλωσ negat instrumento causæ definitionem, καὶ λόγον ἵης ἔστας competere, *Exerc. 297. §. 3. p. 879.* cui succenturiatur *Francis. Piccolomin. Com. in lib. II. Phys. tex. 38. p. 292.* ubi instrumentum

non

MORALI

non causam, sed causæ famulum & concausam, seu συνδουλιον esse statuit. Uterq; tamen non negat, reduci το ὄργανον πρὸς τὸ ποιῆν, ἢ τοιοῦθεν ἢ κίνησις, posse. Sed in eo potissimum hesitarunt Viri ingeniosissimi, quònam modò instrumentum possit dici primum, cum tamen in ordine ad Efficiens, quod primum esse passim docet Philosophus, ità sese habeat, ut servus ad Dominum? Concluserunt ergò, ut famulo repugnat esse Dominum, sic instrumento esse causam. Verum facilis est responsio. Nam particula *primum*, non ad exclusionem instrumentorum, ut quibusdam placet, ponitur, sed ad ostendam dignitatem, & excellentiam præ cæteris causarum generibus, ut rectè atq; eruditè monet *Ruvio in lib. II. Phys. tr. 4. q. 1. n. 2. p. 183.* hoc est, ut apertius dicam, non respicit divisionem Efficientis causæ, sed distributionem causæ ut sic, id quod instrumento nihil derogat. Non enim vim illam nobilissimam agendi eidem tribuimus, sed vim ignobiliorem; hæc autem Efficienti, quî detrahi, aut denegari potest? Non penitus tamen nobis eorum displicet iudicium, qui svavius ista Scaligeri accipienda esse monent; nempe ut neget esse principium primum, seu maximè propriè dictum: quæ sententia est *Goelenij, in Met. Timpl lib. 3. c. 1. p. 45. § 54.* quamvis alii distingvere malint cum *Marcia de Liana*, egregio Philosopho, in *II. Phys. de caus. Eff. q. 1. p. 160.* inter primum simpliciter & non simpliciter, quæ distinctio ferè coincidit cum sententia, quam ex *Ruvione* paulò ante proposuimus. Vid. *Comptonus Disp. Phys. XXIV s. 2. n. 3. Fonseca lib. 1. c. VII. s. 5 p. 529* alii. Alterum enim, quod hic urget *Scaliger*, leviculum est, aliisque dissolutum.

§. 3. Atque hæc eum in finem dicta sunt, ut ostenderemus, quònam modò sub Principali contineretur organon in agentibus physicis. Nam intelligi absq; instrumenti intimiori cognitione nequit, quod à Viris Clarissimis, unanimi consensu hæctenus defensum est: mediante causâ Instrumentali, nunquam ad Effectum concurrere posse causam moralem. Ita enim iudicant; causam illam, quæ effectum producit per cau-

Datur instru-
mentum Phy-
sicum, quod à
Morali assu-
mitur a-
gente.

DE CAUSA

sam instrumentalem esse principalem physicam, quæ mediante causa Physicâ principali, causam moralem. Unde communissima moralis agentis est definitio, quod immediatè effectum non attingat: sed mediante causâ physicâ principali. Quin imò illi ipsi, qui, nescio, quibus de causis, in Philosophia naturali Patrem causam filii moralem esse propugnarunt, ut definitioni huic, sententiam suam attemperarent, eo usq; progressi sunt, ut semen, quò tanquam instrumentò in generationis actu utitur genitor, in causis ponerent principalibus, quæ de re ex professo. *cap. XIII. §. 4.* Probabilis tamen hæc sententia, licet à multis recepta sit, mihi non admodum videtur: unde supra *c. VI. §. 2. ἐπιτηδεύματα* moralis agentis non in principali duntaxat, sed & instrumentalis causæ motione consistere, conclusum est. Id autem nunc porro ostendendum. Servus v. c. organon est Domini sui, ut ex Philosopho §. *preced.* vidimus, & nihilominus si Dominus jusserit ad effectum physicè concurrat. Unde argumentamur: Quicquid effectum producit per causam instrumentalem, illud est causa Physica. Dominus effectum producit per servum suum, Rex vel Imperator per Legatum, tanquam instrumentalem causam. Et Dominus & Rex causæ erunt physice. Conclusionem nemo facilè concesserit, quandoquidem per propriam entitatem in effectus productos, neuter eorum influxit, sed per alienam, puta servi, aut Legati. Alterutra igitur præmissarum fallax sit oportet. Neq; tamen vitium aliquod in Assumpto conspici potest. Relinquitur proinde prima propositio, quæ cum primâ fronte videatur indubitata, non ubiq; tamen vera. Itaq; observandum est (1) instrumentum aliud esse *ἐψυχον*, aliud *ἀψυχον*, quæ divisio est Philosophi *lib. I. Polit. c. IV.* Varro Romanorum doctissimus, *lib. I de Re Rust. c. 17.* instrumenta, quæ Aristoteli animata dicuntur appellat vocalia & semivocalia, inanima autem muta, quod ad Aristotelis *l. c.* notavit *Cl. Piccartus*. Jam autem natura Domino dedit instrumentum, quò mediante domestica opera perficiuntur, servum scilicet, quæ verba sunt *Dilberri*, Theologi celeberrimi, *tom. 2. Diss. Acad. XXI. §. 19. p. 598.*

Verum

MORALI

Verum itaq; illud ἀξίωμα tantum est de instrumento αΨύχῳ non ἐμψύχῳ. Nam aliàs anima nostra per organa corporea agens, moraliter tantum, non physicè aliquid efficeret: & vice versâ Dominus per servum agens, in genere naturæ effectum propriâ produceret entitate. (2) Distingvunt nonnulli inter instrumentum conjunctum & separatum, quæ communis Scholasticorum est divisio. Illud vocant, quod causæ Principali conjungitur vel secundum esse, vel secundum operationem. Hoc, quod neutrô modô conjungitur agenti principali, sed operatur etiam sine actuali concursu ejus. Et ità dicunt levitatem in igne esse instrumentum, quô ignis sursum moveatur: gravitatem terræ instrumentum, quo deorsum tendat. Ità hanc rem explicat *Ruvio in lib. II. Phys. tr. 4. q. 1. n. 7. p. 184. Ebelius Comp. Met. Disp. X. c. 1. §. 14. p. 152. Heereboord. l. c. & ante hos, Thomas sum. part. 3. q. 62. art. 5. Toletus in II. Phys. c. VIII. q. 7. f. 60. Suarez. Disp. Met. XVII. f. 2. n. 22. Hurtad. Mendoz. Disp. Phys. IX. f. 12. §. 117. & Recentiorum plurimi. Sed hâc ratione explicata divisio tolerari nequit. Nam quod ignis ascendat, non ab instrumento, sed à propria forma habet. Et hoc est, quod ait acutissimus *Stalius Comp. Met. l. c. Div. 6. p. 161.* levitatem esse virtutem sufficientem & proportionatam satis ad motum sursum, & sic principalem ejus non instrumentalem causam. Explicant proinde alii, quod causa instrumentalis separata dicatur, quæ agit loco atq; vice causæ principalis, id quod tamen variè exponi potest. Nam aliqui de morali agente hæc duntaxat accipiunt, quô sensu *Burgersdicius Inst. Log. lib. 1. c. 17. th. 25. §. 1. p. 76.* instrumenta separata in naturalibus locum habere negat, in quam sententiam ipse *Heereboord.* quoq; concessit *l. c. §. 16.* qua de re paulò post. Aliqui verò non negant dari organa separata, sed intelligunt separationem duntaxat quoad esse, non verò quoad causalitatem; & hòc respectu explicari omnia, quæ in contrarium adducuntur, possunt, de sola separatione quoad esse, hoc est, quando instrumentum aliquod alteri per actualem inhærentiam conjunctum non est. Falsum enim est, quod ajunt, venenum Scorpionis alicujus ori im-*

mis-

DE CAUSA

missum; calorem ignis ferro communicatum, agere quoad operationem quoq; separatim, quandoquidem illud in virtute Scorpionis: hic in virtute ignis sibi communicata dependenter agit. Quod si igitur ista ad nostram applicentur Andromachen, apparebit melius dici instrumentum separatim posteriori modo, quam priori. Nam certe experientia rerum magistra, & res ipsa satis superq; demonstrant, instrumentalem causam nisi à superiori elevetur, nullam esse. Dicendum itaq; moralem causam causalitatem suam exercere partim in instrumento pratico, cujus præter usum opus est nullum, ut ait Cl. Cellarius lib. 1. Polit. c. 3. §. 10. quale organon est servus, lib. 1. Pol. c. III. (al. IV.) partim in instrumento separato quoad esse, puta si quis alteri venenum propinet Scorpionis, quod secundum esse separatim ejusdem est instrumentum.

Probatum servum verè esse, & dici instrumentum.

§. 4. At enim verò non levis suboritur dubitatio, quæ servus dici possit instrumentum, præsertim cum virtute ad effectum sufficienti sit præditus; instrumentum autem omne impropportionatum sit, ad effectum propria δυνάμει producendum? atq; hoc est, quod non pauci in contrarium adferre solent; qui in eo quoq; trlicantur, an Aristotelis servus verum dicatur instrumentum? Sed utrumq; evidenter patet. Nam quod ad Philosophum attinet, perspicua ejus est sententia ex lib. I. Pol. c. IV. ubi apertam collationem instituit inter instrumenta ἐμψυχα & ἀψυχα, & ex his illa colligit. τῶν δ' ὀργάνων, inquit, τὰ μὲν ἀψυχα, τὰ δ' ἐμψυχα οἷον τῶν κυβερνήτην ὁ μὲν οἰαζέται ἀψυχόν, ὁ δὲ πρῶτος ἐμψυχόν. Sed in his forsitan difficultas hæret, quando subdit Philosophus ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνῳ εἶδεν ταῖς τέχναις εἶναι: existimant enim similitudinem duntaxat quandam, speciemq; instrumenti gerere servum, quomodo & Dionys. Lambinus hæc verba interpretatus est. Sed falluntur Viri doctissimi. Vox enim illa nunc hęc, nunc aliò modo apud oratores, Poetas, Philosophos, usurpatur. Rectius sententiam Philosophi exponunt, qui illud ἐν ὀργάνῳ εἶδεν per locum instrumenti, ut Leonard. Aretinus, aut speciem potius organi, ut sub instrumento tanquam genere servus continetur.

MORALI

tineatur, ted dunt: quomodo apud *Popprium* το δὲ acci-
 pitur *c. II. Introd. §. 19.* & ap. *Philosophum* non unô locô. Unde
 communis est definitio servi, quam ex *Aristotele* proponunt
 Eruditi, quod sit organon animatum, activum, separatum,
 alterius homo existens. Vid. *Exc. Dn. D. Wendelerus Phil. Pract.*
lib. 2. §. 1. c. 3. §. 2. p. 178. Quod autem excipiunt οἱ ἐξ ἐναντίας vir-
 tute ad effectum proportionatâ instructum esse servum, non in
 omnibus æquè valet. Nam servus alius est *naturalis*, alius
legalis, de hoc quodammodo dici potest id, quod isti volunt,
 de illo non item. Nam argumentamur 1. Quicquid secundum
 naturam non sui ipsius, sed in totum est alterius, illud virtute
 ad effectum proportionatâ instructum esse nequit. Servus
 itâ sese habet. E. Minor constat ex *Aristotele l. c.* ubi expressè di-
 citur: ὁ γὰρ μὴ αὐτῆς φύσει, ἀλλ' ἄλλης, ἀνθρώπου δὲ, τῆς αὐ-
 τῆς φύσει δὲ λόγος ἐστίν. Ingeniosè igitur *Apelles*, Pictorum suô
 tempore præstantissimus, servum depinxit auribus asininis, na-
 ribus porcinis, manibus omni instrumentorum genere refertis,
 humeris patulis, ventre macilentô, pedibus corvinis, labris
 duabus feris clausis, ut *ad. lib. I. Pol. c. III.* notavit *Job. Casus*, & ex
 eo *Georg. Schönborner. Polit. lib. 1. c. 9. p. 72.* Major proba-
 tur: Quodcunq; potestate ignobiliori, quàm ad effectum re-
 quiritur, agit, illud virtute ad eundem proportionatâ instru-
 ctum esse nequit. Id, quod secundum naturam non sui ipsius,
 sed in totum est alterius, potestate ignobiliori, quàm ad effe-
 ctum requiritur agit. E. Major claret. Assumptum confirma-
 tur, quia dependentia illa rigorosa, potestatem, quæ ad hoc,
 vel illud peragendum requiritur, destruit. Opus itaq; est, ut
 id, quod ἄλλης est τῆς φύσει, elevetur, eiq; potestas agendi con-
 cedatur. Ex quibus relinquitur, satis evidenter ab *Aristotele*
 servum dictum esse instrumentum. Concludimus 2. Cujus-
 cunq; tota vis in usu consistit, illud est instrumentum. Servi
 tota vis in usu consistit, E. Prima propositio dilucidè tum ab *A-*
ristotele, tum ab aliis proponitur. Itâ enim *Philosophus*
lib. IV. de part. An. c. XII. τὰ γὰρ ὄργανα, inquit, πρὸς τὸ ἔργον ἢ
 φύσει ποιεῖ, ἀλλ' ἢ τὸ ἔργον πρὸς τὰ ὄργανα: & clarius *lib. I. de*
H part.

DE CAUSA

part. An. c. V. πᾶν τὸ ὄργανον ἐνεκά τῃ esse docet, exemplo ferræ. Οὐ γὰρ ἡ πείσις τῆς πείοντος χάριν γέγονεν, ἀλλὰ ὁ πείων τῆς πείσεως, χρήσις γὰρ τις ἢ πείσις. Similia lib. IV. Meteor. c. XII. lib. II. de An. c. I. tex. 8. & alibi leguntur. Ratio autem hujus rei variè expediri solet. Nobis illa placet, quam Keckermannus Syst. Log. lib. I. c. 13. p. 130. proponit, quod sublatò usu, tollatur ipsum instrumentum, id quod B. Jac. Martin. quoq; probatur, Prælect. lib. I. sect. pr. c. 15. p. 191. De minori dubium aliquod esse potest: sed illud facilè diluitur, si exactius rem introspeciamus. Sine necessariis impossibile esse, καὶ ζῆν καὶ εὐζῆν, & experientia, & accuratus ejus interpres Aristoteles docet lib. I. Polit. c. IV. Jam omnia ἀναγκαῖα, præsertim in re familiari ad usum unicè tendunt. Cum itaq; necessarium aliquid requisitum sit servus, utiq; propter usum erit. Utrumq; divinus Præceptor, σοφὸς ἀνὴρ καὶ ὦν, καὶ εἶναι δοκῶν, [quod testimonium est Æliani, Philosopho nostro aliàs infensissimi, ποικιλ. ἰσορ. lib. XIV. c. I. p. 270.] ad amussim expressit. Nam I. I. Oecon. c. V. τῶν δὲ κημάτων inquit, πρῶτον μὲν, καὶ ἀναγκαῖα ὄταλον, τὸ βέλτιστον, καὶ ἡγεμονικώτατον τῆτο δὲ ἦν ἀνθρώπου: quibus verbis servum denotari, nemo est, qui vel suspicionem alicujus prodat dubitationis. Eὐ autem locò, quem ex Politicis aliquoties hætenus adduximus, apertè ait: Si possent instrumenta ad jussum vel nutum Domini opus suum conficere, quemadmodum Dædali aut Vulcani tripodes (quos inquit Poeta, αὐτομάτας θεῖον δῦεσθ' ἀγῶνα) sic & pectines pecterent, καὶ τὰ πλήρη ἐκιδάριζεν, nec Architecti ministris, nec Domini servis indigerent: ἃ δὲν ἂν εἶδει ἔτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν, ἔτε τοῖς δεσπόταις δούλων. Ex quibus necessitas servorum ad usum domesticum, ad oculum patet. Obiter addo: de tripodibus istis, quod dixit Aristoteles, desumptum esse ex Homeri Iliad. l. XVIII. v. 376. quem locum, qui de vulgari, quod in curribus nostris conspicitur rotularum artificio, exponunt, fungum pro cerebro habeant, oportet. Ità enim Poeta, postquam exposuisset Thetidis ad Vulcanum, tripodas viginti fabricantem, adventum, de tripodibus pergit:

κρύ-

MORALI

Χρύσεια δὲ σφ' ὑπὸ κύκλα ἐκείσ' ὠπυθμένοι θῆκεν,
 Ὁ Φρα. οἱ αὐτόμαλοι θεῖον δυσαίατ' ἀγῶνα,
 Ἡδ' αὐθις πρὸς δῶμα νεκίαλο, θαῦμα ἰδέσθ.

Ubi mirum, quàm ineptè apud Aristotelem ἀγῶνα ver-
 terint *Aretinus*, & post hunc *Gifanius*, & *Lambinus*, Viri alio-
 quin in omni eruditionis genere excellentes, *certamen*, quasi
 concertatio inter mensas, aut lebetes, ut alii tripodas hos in-
 telligunt, apud *Natal. Comit. Mythol. lib. IV. c. X. p. 349.* instituta
 fuerit: cum debuerint *cenaculum*, ut rectè Vetus Homeri In-
 terpres, aut *templum* interpretari. Sic *Homerus Iliad. VII. v.*
298. introducit Hectora de civibus suis, mulierculis Tro-
 janis, loquentem:

Αἴτε μοι εὐχόμεναί θεῖον δύσονται ἀγῶνα.

Αγῶνα hic loci exponunt templum *Eustathius*, & *Autop*
Etymologici Magni, id quod inter alios *Scapula* quoq; in *Lexi-*
co p. 48. monuit. Sed hæc ἐν παροῶ. Nolo hic urgere ea, quod
 Servus totus dicatur esse Domini sui, sive, ut loquitur Philo-
 sophus: ὁ δὲ λ. ὁ μόνον δεσπότης δὲ λ. ὁ εἶναι, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἐ-
 κείνῃ: quod autem totum est alterius, illud usibus sanè ejus in-
 serviat oportet. Cæterum non displicet *Cl. Petri Musæi*, Phi-
 losophi ingeniosi distinctio, quantumlibet novè excogitata,
Instit. Met. c. XV. §. 12. p. 169. ubi ait, alia instrumenta esse per
potentiam influendi, sive ratione influxûs; alia per facultatem
 appetendi, sive ratione intentionis & appetitûs. Illa vocat,
quorum vis influendi ignobilior est, quàm ad influxum requiritur;
 & hõc modò malleus, culter, gladius, organa sunt: hæc, *quo-*
rum secundum cognitionem appetitus ignobilior est, quàm ad mo-
venda sic, vel aliter, membra externa requiritur. Hæc ratione
 non bruta tantum, sed & servi dicuntur instrumenta: illa qui-
 dem juxta ἀλογον, hi verò juxta λογικὸν appetitum. Neq;
 enim bos inflectere per se gressum valet, ad arandum, neque e-
 quus, nisi ab auriga dirigatur. Interim ne ista nimium exten-
 dantur, cautio est.

§. 5. Prout autem instrumenta in genere naturæ dupliciter
 influere dicuntur, per *actionem propriam*, à forma instrumen-

Datur Instru-
 mentalis cau-
 sa in genere
 ti de-
 morum.

DE CAUSA

ti dependentem: & per elevationem, secundum quam in virtute operatur principalis agentis, ut ex *Thoma part. 3. q. 62. art. 1. Cl. Homborg. l. c. §. 38.* & ex *Cajetano p. 1. q. 45. art. 5. Ferrar lib. 2. cont. gent. c. 2.* docet *Jac. Mart. lib. 1. Exerc. Met. 4. th. 5. Div. 9. p. 181.* ita moralis causa instrumentaliter ad effectum duplici concurret respectu, partim cum à morali principali elevatur & adhibetur, aut, ut magis loquar perspicue, quando valor, à causa Principali accepto, movet: partim, quando in effectum non influit, eò tamen modo se gerit, ut ipsi attribuat effectus, perinde ac si verè influxisset. Ita ferè *B. Slevogt. l. c. §. 13. p. 702.* & alii. Quanquam posterius non æquè probum videatur, atq; prus. Nam si nec directè, nec indirectè causam movet physicam, aut ad effectum quicquam confert, quomodo instrumentum morale, quomodo causa jure dici poterit Moralis? Prius autem non eò respectu accipi debet, ut à nonnullis hactenus acceptum est, qui per instrumentum morale nihil aliud intelligunt, quàm id, quod est instrumentum cause moralis, qualis est licitor, jussu consulis facinorosum in carcerem trahens, & quilibet servus in exequendo heri mandato, quâ ratione hanc rem explicat *B. Scal. Reg. Phil. part. 2. disp. 6. reg. 4. §. 13.* Impropiè enim servus instrumentalis causa in genere morum, hòc modo consideratus, dicitur. Imò eò respectu ignis quoq; instrumentum dici posset morale, quia assumitur ab agente morali. Optimè proinde causa definitur instrumentalis in genere morum, quæ agens naturale non propriâ, sed acceptâ vi, & potentia à superiori movet. Ita *Joabus* instrumentum erat morale in occidendo *Uria*, elevabatur quippè à causa in genere morum principali, puta *Davide*, *2. Sam. 11. v. 16.* Sed enim & hæc ad palatum non sunt aliquibus, qui tale instrumentum in genere morum, si propriè pro causa capiatur instrumentali, admittendum esse negant, idq; duas potissimum ob causas: 1. quia instrumentum morale nihil agit, nec in effectum influit, sed ita tantum se gerit, ut ipsi imputetur effectus, perinde ac si verè in illum influxisset. 2. quia instrumentum tale elevari debet in agendo à causa principali

MORALE

cipali, & quoad causalitatem cum ipsa conjungi. Nullam autem dari causam, ajunt, principalem, quæ id præstet instrumento. Ità Vir doctus *Disp. 2. de Caus. Mor. § 29.* & fortassis alii. Verum, *Magnoperè à vera lapsi ratione videntur*, qui sic existimant. Nam quod ad *prius* attinet, verum quidem est, instrumentum speciem esse causæ Efficientis, non materiæ, ut *Philoponus in lib. II. Phys. tex. 27.* & ex parte *Pererius lib. 8. de Com. rer. nat. princ. c. 1.* alii, censuerunt: non tamen exinde concludendum, veram illam actionem, aut physicè requiri à *ἀνάγκη* ad causam in genere morum instrumentalem: aut hanc influxu atq; actione destitui in universum omni. *Illud* ne quidem ad principalem in genere morum requiritur causam, ut actio ejus immediatè sit determinata ad effectum; sufficit si *ἐπιπέσει* illud fiat. Mediata autem actio & ipsa vera est actio. *Hoc falsum penitus est.* Quemadmodum enim agens in ordine ad mores principale, effectum per propriam non attingit entitatem, & nihilominus in eundem suò modò influit, ut vera sit, & maneat causa: ita agens in eodem genere instrumentale, otiosum non est, sed potestate à superiori acceptà movet reverà, & per motionem illam verè aliquid ad effectum confert. Quin imò largitur Vir Cl. ità sese gerere instrumentum, ut ipsi imputeretur effectus: largiatur itaq; nobis actionem ad minimum indirectam, hoc est, motionem aliqualem in organo hujusmodi oportet. Quod autem in *posteriori* causam in genere morum dari negat principalem, quæ instrumentum elevet, experientiæ contrariatur. Nam Paterfamilias, qui servum negligenter candelam tractantem non corrigat, cum tamen mores ejus benè habeat perspectos, elevat incuriam servi, tanquam instrumentalem incendii causam principaliter, & quoad causalitatem cum eodem conjungitur. Navarchus proreæ, aut nostrò more loquendo, gubernatoris oscitantiam, non corripiens, cum possit, aut debeat, cum ejusdem causalitate principaliter ad interitum, & subversionem navis concurrat. *Πρωτεύς* enim, Aristoteli *ἡ κυβερνήτης* *I. Pol. c. IV.* qui gubernaculum tenet, Navarchi dicitur organon.

DE CAUSA

non. Neq; aliter explicandum censeo, quod de Tarquinio Superbo referunt Historici, *Liv. l. i. c. 54. Florus l. i. c. 7. n. 6. Val. Max. VII. 4. 2. Frontin. l. i. 4. Dionys. Halic. IV. 63.* alii quorum prolixum catalogum recenset, omniscius (iudice Dempstero,) *Tiraquellus, in Annot. ad Alex. ab Alex. lib. II. c. XXXII. p. 198.* Hic enim Gabiis infensus, ut eorum urbe potiretur, filium flagris verberare non dubitavit, ut simulanti transfugam apud hostes, hinc fides esset: Cui, ut voluerat, recepto, in mandatis singulari stratagemate, dedit, ut Principes tollendos curaret civitatis. Causa in hoc negotio Principalis Tarquinius, assumpserat filium tanquam instrumentum morale, qui dum cicatrices, lacerataq; (ut ipse de se loquitur apud *Ovid. lib. II. Fast. v. 704.*) crudeli verberare terga ostentat, moraliter ad recipiendum sese Gabios movit, & sic conjunctim ad expugnationem civitatis, principalis & instrumentalis in genere morum concurrerunt causæ. Similia ad *Flori l. c.* cum iudicio collegit, *Cl. Rupertus in Observ. p. 123.* Excipiunt: preces dici instrumentum morale, nec tamen causam Principalem hominem, qui precibus utitur, illud in agendo elevare. Respondemus, non paucos esse, qui instrumentum aliquod morale preces constituent, non secus atq; Apostoli, aut Ecclesiarum ministri instrumenta verè dicuntur. Alii inter separata preces referunt organa, qualia in moralibus forte dari (cum in Physicis dari neget) censet *Heereboord l. c. §. 10. p. 245.* Sed ad hoc ipsius fortè, per non-fortè respondere non dubitavit *Vir doctus l. c. §. 29.* quàm verè, ipse viderit. Judicent cordati. Nostra itaq; in hoc negotio sententia est, preces rectius medium, quàm instrumentum obtinendæ dici salutis. Homo enim, qui precibus utitur, iis ipsis causalitatem suam in genere morum exercet. Aliàs & consilium, mandata, minæ, hisq; similia pro instrumentis venditanda forent moralibus. Et hòc modò verbum Dei dicitur medium salutis potiùs, quàm instrumentum: Sacramenta sunt gratiæ signacula, non æquè instrumenta. *Vid. Heereboord. Vol. 2. Diss. XIX. §. 3. p. 252.* qui tamen hic suæ videtur inservire causæ. Fieri quoq; potest, ut nonnunquam à virtute plane deficient instru-

MORALI.

Instrumenti, quomadmodum *Mosis baculus dicitur medium in miraculis adhibitum, non adeò instrumentum. Sputum adhibetur à Christo ad visum restituendum, ceu medium, non tanquam instrumentum*, ut *ἀκριβες ἄνω* negotium hoc exposuit, æternum Germaniæ Prussiæq; nostræ decus, *D. Calovius, Met. Div. part. Gen. c. XV. n. II. p. 484.* Sed nunc ad alia.

CAPUT XI.

§. I. Succedit IV. divisio causæ Moralis in *directam*, & *indirectam*, quam ex formali ejus ratione deduximus. Enimverò motio alia directè, alia indirectè perficitur, quò sensu voluntarium aliud indirectum dictum est à *Thoma*, (quem inter Philosophos omnes, & Theologos non secus, quàm solem, longè lateq; collucere affirmat *Didacus Masius, Monachus Ord. Præd. lib. V. de Ente c. III. p. 253.*) 1. *secunda q. 6. art. 3.* Est autem *Causa moralis directa, quæ ipsò voluntatis actu directè expetit effectum, eamq; ob causam agens naturale ad illud producendum efficaciter instigat.* Expeditio igitur efficaciam, aut voluntatem expressam aliquid ad effectum conferendi requirit: exclusâ simplicis & nudæ complacentiæ voluntate, quæ desiderio quidem effectûs, sed citra motionem tenetur, ut aliis observatum est. Fieri hoc potest dupliciter: 1. *ἀπὸ τῆς ἀρνήσεως*, seu per modum negationis: 2. *θετικῶς* & positivè. *Sensu negante moraliter agit, qui alicui in fluvium fortè prolapsò, cum possit & debeat, suppetias atq; opem ferre denegat: eò ipsò enim dum miserum illum cum fluctibus colluctantem, brachiaq; sua, ut cum Poeta loquar, liquidis lassantem aquis, destituit, interitum ejus expetere directâ voluntate, saltem negativè videtur.* Atq; huc refert *Cl. Musæus inst. Met. c. XIII. §. 20 p. 138.* eos, qui suppositâ effectûs directâ intentione, illum non vetant, non disvadent, non puniunt, non subtrahunt media & instrumenta, non objiciunt obstaculum sive prohibens, non ferunt opem in casu necessitatis, non abripiunt agens à patiente, aut hoc ab illo, cum possint & debeant. Pleraq; non incongruè: sunt tamen quæ ad indirectam potiùs, quàm ad directam spectent & pertineant intentionem, Nam qui furem v. c. supplicio suspendii

liber

Dividitur
IV. causa
moralis in di-
rectam, &
indirectam

DE CAUSA

liberat, pro merito eum non punit, neq; tamen eò ipsò ad furta, quæ post committit liberatus, aut concurrat, aut aliquid confert directò voluntatis actu, licet ab indirectâ penitus absolvi non possit motione. Unde & ipse non immeritò *l.c. §. 21. p. 139.* dubitat, quî pura omissio per se directè respondeat intentioni? *quò fit, inquit, ut effectus non impediti cum impediti potuerint & debuerint, vulgò maximâ sui parte, saltem indirectè intenti habeantur.* Quâ de re plura *c. XII.* subjiciemus.

*Methodus
procedendi
exponitur.*

§. 2. *Positivè* autem motio directâ innumeris perficitur ferè modis, qui neq; ab aliis enumerati sunt, nec enumerari, si vel maximè, quis in id incumbat, omnes possunt. Laude atq; encomiò dignissimū est, quod hic præstitit ingeniosissimus *Slevogtius*, qui cum inter primos intricato huic negotio operam daret, eruditè abundè industriam suam, addo & acumen probavit, nisi quod aliquando, ut fieri solet, audaciùs paulò iudicii sui ductum, & præconceptas secutus est opiniones. Hunc insecuti alii, numerò quidem oppidò pauci, non minùs tamen docti, de ulteriori modorum investigatione solliciti parùm, aut nihil fuerunt, id tantummodò sibi negotij datum existimantes, ut circumspicerent, an omnes, qui ab aliis propositi sunt, causæ moralis modi, tales reverâ sint, nec ne? Quod & ipsum in laude ponendum. Nos ut & animi nostri desiderio, quoad fieri potest, satisfaciamus, & doctoribus ulterius in hanc rem inquirendi ansam demus, utramq; ingrediemur methodum; visuri, numquid iis, quæ aliis inventa debemus, adjici; quæ luculentiùs exposita, obelò configi, quæ doctis virgulâ notata sunt censoriâ, tolerari, debeant & possint? Etsi autem in hoc ingeniorum certamine ad digitum non semper pugnare licet, (verba sunt *D. Danbauri*, Viri ad miraculum eruditi, *Polemoph. sect. 1. art. 1. § 2. p. 3.*) nullius tamen nos invidiam, cordatiorum potiùs excusationem consecuturos speramus.

*Modi causæ
moralis dire-
ctæ.*

§. 3. Potiores itaq; exponemus, qui *positivè* ad directam moralis causæ motionem faciunt, modos. Fieri verò hoc ac perfici potest, 1. *Violentia coactione*, quâ usus sæpè in bello *Julius Cesar*, qui fugientibus obsistens militibus, retinensq; singulos.

con-

MORALI

contortis etiam faucibus in hostem convertit, ut refert *Sveton. in ej. Vit. c. 62. p. 47.* Etsi autem agens violenter, agens simul & patiens dici possit, ut eruditè animadvertit *Hier. Prator. Theat. Eth. part. 2. f. 1. in not. p. 35.* actio tamen ejus potissimum attenditur. Nam & is, qui invitè agit, agere suò modò rectè dicitur. Huc referimus *comminationes, incarcerationes, plagas, atq; verbera, obligationem, torturam, obsidionem quandoq; famem, quæ liberos suos* Indi olim cruciarunt, ut aptè ad tractandas redderentur sagittas; hisq; similia: quæ singula eò tendunt, ut causa naturalis ad voluntatem & motionem agat moralis causæ. 2. *Præceptò ac mandatò;* id quod dupliciter fieri potest juxta *Mendozam Diss. VIII. Phys. f. 9. §. 117.* (α) *cum intellectu* adjacentis proximè causæ, quòcunq; tandem id fiat modò, apertè, callidè, occultè, seu etiam nutu, gestu, verbis, ænigmatibus, literis, hieroglyphicis, id quod in Tarquinio Superbo videre est, qui præsentè servo, summa papaverum, seu ut *Ovidio* placet *l. c. liliorum*, capita decutiens, hòc ipsò significavit, quid filio apud Gabios degenti agendum esset, ut post alios refert *Polyænus Strateg. lib. VIII. c. 6. p. 552.* Idem est, quod de Periandri consilio Thrasylulo dato, memorat *lib. V. Pol. c. X. Aristoteles.* (β) *sine intellectu*, ut qui canem in viatorem, aut alium quemvis incitat. Ità Auceps accipitrem, venator canem in feras & volucres instigat, qua de re extant *Demetrii Constantinopolitani Commentarii Græci, à Rigaltio in de Re Accipitraria*, relati, qui tamen multò locupletiores, & correctiores, in *MS. Bibliotheca Electoris Regiomontane* asservantur. Præcipit autem non solum, qui factum expressà mentione approbat, sed & qui quâcunq; ratione illud laudat, sibiq; complacere ostendit, ut observat *B. Slevoigt. l. c. §. 20. p. 705.* Sed hoc crudè asserendum non est: nam distincti causæ moralis directæ sunt modi, *approbatio, & mandatum.* Imò, quod eruditè monet *Cl. Tentzelius Diss. 2. de Caus. Mor. §. 6.* requiritur prætereà, ut inter mandatorem & mandatarium intercedat respectus quidam superioritatis & subjectionis, ut inferior ad præstandum, quod præcipit alter, teneatur. 3. *Directione, informatione, consiliò, hortatu, svasu, exemplo, precibus,*

DE CAUSA

bas, provocatione, suggestione. Directionem intelligo non quamvis, sed quæ interventu agentis naturalis perficitur atq; absolvitur, quò sensu etiam informatio capienda: & sic auriga causa est moralis in dirigendo curru, venator in directione canum. Ità Gen. XI. v. 3. causa efficiens turris Babylonicae Nimrod constituitur, non quasi manum operi ipse admoverit, sed quod Princeps atq; ἐπυδοῖώνης totius operis fuit, ut loquitur apositè ad hanc rem D. Christian. Matthiæ, Theat. Hist. Mon. t. 1. f. 2. n. 19. p. 10. Offert se hîc speciosus, sed dignus, ut Poetę verbis utar, vindice nodus: An nimirum, qui directioni præest horologiorum sit causa moralis, an physica? Prius verum alicui posset videri, quia motus sanè instrumentorum est spontaneus, qui absente quoq; direttore, æquè ac præseente absolvitur. Sed enim videtur, non est. Nam liquidò constat, motum ἰὼν ἀὐτοματῶν artificialem totum ab artificis pendere manu, non secus ac corpus vi magnâ emissum, celerrimi istius motûs causam habet peritam jaculatoris manum. Imprimis itaq; vim motûs suo artificio peritus artifex, vel manu, vel pondere appensò, vel aliò modò, unde rotularum exurgit motus. Ipsæ autem rotulæ affabrè constructę atq; congruò ordine dispositę, nullâ ratione motûs sunt causæ, sed præviæ tantùm (quod egregiè observat doctissimus Voëtius Phil. Ref. c. XXV. n. 7. p. 561.) modificationes ad artificium hujusmodi requisitæ, ut pondus appensum, vel manus artificis, vel aliud quoppiam corpusculum chalybeum, contra naturam intortum, motum producat: non aliter ac multa ad motum facilitandum in rebus artificialibus requiruntur, ut rubiginis absterfio, unctio, perpolitio rotularum, quæ tamen omnia nemo sanus causas motûs esse dixerit. Similia ex Joachim. Jungij Exerc. V. de causis, notavit Stalius in Disc. ad Tab. Met. X. p. 65. Distingvendum proinde inter causam motûs physicam, & conditiones ad facilitandum & retinendum motum necessariò requisitas. De molitore, nauta &c. aliter judicandum. Sed prolixus sum παρὰ προσηγορίαν. Quod ad consilium, aperta res est. Nam consultorem, jam suò tempore, Cardinalis Toletus ad causas reduxit morales, in lib. II. Physic. III. tex. 29. fol. 55. b. Et quamvni

MORALI

vis *Nicolaus D. Orbellus de Francia in lib. II. Phys. c. IV. Ἰὸν βελού-
σαν* causam tantum coadjuvantem & secundariam dicat: in-
telligendum hoc ipsum non de causa aliqua impulsiva, aut In-
strumentali, sed Principali. *Exemplum* autem non sine causa
huc reduximus, quoniam blandissimè jubetur exemplò, ut lo-
quitur *Pacatus in Paneg. apud Nobiliss. Barthium, Animadv. in
Claudian. IV. Cons. Hon. v. 301. p. 653. Unde Paulinus Benedictus
lib. II. Martin. apud eundem:*

- *Sacerdotis factis facienda docentur:*

Exemplum magè suadet opus, quàm gratia verbi.

Ad hos modos referri quoq; , sed circumspectè, possunt,
pacificatio, proditio, ejusdemq; actûs exercitia. 4. Agere potest
causa moralis, vel per *modum meriti*, vel per *modum satisfacti-
onis*, vel etiam per *modum impetrationis*, de quibus speciatim
paulò post. Atq; huc spectant *munera, largitiones, blanditiæ, in-
sinuationes, pollicitationes*, & hoc genus alia. 5. *Conspiratione, con-
sensu, receptione, occultatione, dissimulatione, defensione, pacto,
auxilij subministratione, commodi participatione*, quomodo se-
se gerunt, communis illa adolescentium pernicies, perjuri, pe-
stes, (quibus nominibus seipsum commendat ille apud Comi-
cum) lenones, furuncolorum & latronum receptores (*κλεπτο-
δόχης* Græci appellant) & hujusmodi laverniones alii, quorum
maxima in terris copia. Adde *laudem*, quam *palpationem* vo-
cat vetus apud *Thomam* versiculus, vulgo notus: *approbationem*,
quæ causam physicam acrius ad producendum effectum insti-
gat, proficuum, jucundum, facilem, aut gloriosum illum o-
stendendo: *falsam testificationem*, qualis apparet in historia *Su-
sannæ*, & *Stephani*, Act. 6 13. demum *reticentiam* quandoq; , quæ
potissimum in eo, qui in specula ad significandum hostis adven-
tum, constitutus est, observatur. Dixerim ego non incom-
modè huc referendam esse *Æquivocationem*, quam à Jesuitis,
artis excultoribus, *Jesuiticam* vocant, qualem in *Affisio* nota-
runt *Martinus Navarrus, Hospinianus, Angelus de Perusio*, alii, &
ex iis *B. D. Meisnerus part. 3. Phil. Sob. s. 1. c. 7. q. 1. memb. 1. p. 351.* Hic
enim interrogatus à lictoribus homicidam persequentibus; an

DE CAUSA

illac ubi Assisus erat, homicida transisset? immixtis manibus intra manicas, respondit: *Hac non transisse.* Decepit itaq; lictores ambiguo vocabuli significatu, & sic homicidæ eruptio, tacito quodam consensu ab eodem approbata, merito eidem imputari debet & potest. Sed hac de re alibi. Cæterum de consensu eruditè observat *Cl. Felwinger Disc. de Caus. Mor. §. 20.* ad eundem requiri, ut libertate & scientiâ suffultus sit illius rei, in quam consentit. Nam si is, qui de interfectione v. c. alicujus cogitat, alteri de rapina cogitationes suas exponat, & hic in effectum consenserit quoad rapinam: imputari eidem cædes ab illo perpetrata, non potest, quia non in internecionem, sed in rapinam consentit. Exempla hujus rei gravissima *Curtius* unus *lib. VI.* abundè suppeditare potest. *Philotas* quidem tanquam in caput Regis conjurasset, accusatur: at verò purgat idem se satis, quòd neq; à *Dymno* conspirationis autore nominatus sit, neq; ullam ejus rei notitiam habuerit, ut videre est apud eundem, *c. X.* Urgebat contra *Craterus*, & alii, tollendum de medio esse *Philotam*, quoniam ea, quæ à *Ceballino*, de conspiratione *Dymni* audierat, suppressit, neq; *Alexandro* indicavit, & per hoc consensum quasi suum conjuratoribus addidit. Habemus in isto exemplo aliquot causæ moralis modos: sed & consensum invitum, egregiè in *Nicomacho*, idem Autor expressit; *l. c. c. VII.* quem *Dymnus*, supplex idem & infestus, eò demum adegit, ut non solum silentium, sed etiam operam in occidendo Rege polliceretur: quòd tamen cum non servavit *Nicomachus*, neq; culpa eidem ab *Alexandro* imputata est. De occultatione verè & regiè *Nicocles* *Salaminis* *Cypriæ* Rex, apud *Isocratem* *O-rat. Paran. III.* ad cives suos: *καὶ νομιζετε τῆς αὐτῆς εἶναι ζημίαν ἀξίως τῆς συγκυρίου τῆς οἰκῆς ἐξαμαρτάνειν*, *p. 73. edit. Wolff.* quòd penes *Germanos* nostros proverbio locum dedit. Perfici demum potest 6. moralis causæ directæ motio, applicatione agentis ad patientem, & ἀνάπαλι, patientis ad agentem, hæc tamen adhibitâ cautione, ne ἀμέσως & per propriam entitatem effectum contingat applicans. Alii effectum bonum vel malum requirant, satis benè, sed non satis accuratè. Nam non tantum is, qui ra-
tione

MORALI

tione officii ligna super foco largè reponit, (ut cum illo loquar) sed & alius, qui idem præstat moraliter agere dicitur. Mirari itaq; satis nequeo, Virum Magnum olim scripsisse: illum, qui igni culinari ligna apponit, vix propterea causam combustionis moralem dici posse, nisi respectus officij, quò ad ligna igni apponenda, & ad id ad ignem conservandum, obligatus fuerit, intercedat. Nam si causa in genere morum dici nequit, causa combustionis lignorum erit physica, quod vel solo auditu absolum videtur. Alia res est de applicatione $\sigma\pi\epsilon\gamma\mu\alpha$ in generatione, qua de infra. Atq; hos ferè modos Veteres duobus versibus ruditer admodum includere apud Thomam 2. 2. q. 67. art. 7. qui passim inveniuntur. Horum similes, aliquantò tamen pleniores adducuntur à B. Chemnitio, in Loc. Comm. tom. 1. L. de pecc. fol. 240. Exempla præcipuorum, nescio quis, hòc Epigrammate complexus est:

*Astynæta ferex turri exturbavit Ulysses,
Imperio id Calchas jussit, Achille, tuo.
Auratum frustra vellus petiisset Jason,
Sensisset fidas nò meretricis opes.
Inclusi ligno quod servarentur Achivi,
Callidus Argivâ præstitit arte Sinon.
Archilochus laqueo fregit tua colla, Lycambe,
Ille fuit tanti causaq; faxq; mali.
Musa quod Archilochi, fraudes peperere Sinonis,
Colchi tuum; imperium fecit, Achille, tuum.*

S: 4. De tribus hic nobis denuò dispiciendum: (1) de mandato; (2) de approbatione, defensione, & aliis modis nonnullis; (3) de merito, impetratione, & satisfactione; quendo quidem peculiare aliqui hac in re fovent opiniones. De primo duplex est controversia: (α) an qui alteri aliquid in mandatis dat, id verò non expediatur, eò ipsò in genere morum causa sit, nec ne? (β) an culpa mandanti possit imputari, si mandatum dederit alicui, qui jam ante animo destinavit scelus illud facere: utrumq; negat Cl. Slevogr. l. c. § 27 p 708. Alii prius pernegant, posterius affirmant. Nobis neutrum negandum videtur. Rationes ejus rei, quantum

*Expediantur
dubia circa
causam mo-
ralem man-
dantem.*

DE CAUSA

ad prius exposuimus c. VIII. §. 3. Sed argumentantur in contrarium: Q. causam physicam non movet ad agendum, ille non est causa moralis. At verò is, cujus consilium, aut mandatum non expeditur, non movet causam physicam ad agendum. E. Respondemus, falsam esse subsumptionem. Nam sive in eo accipiatur sensu, ut effectum non plenariè assecutus sit, qui physicè ad mandatum moralis causæ egit: sive effectus aliunde interrumpatur, ut planè ad motionem moralis agentis non sequatur, vera tamen est, & manet motio: non secùs atq; efficiens causa, quando propter hunc vel illum finem agit, nec eundem tamen assequitur, statim neganda non est. Quod si enim quis ignem tecto injiciat, neq; tamen flammam concipiat domus, an propterea excusandus incendiarius? Adde, quod ipsi, qui contrarium defendunt, intentionem cum actione conjunctam moralis causæ statuunt causalitatem. Ex quo facilè est concludere: Quicumq; intendit aliquem effectum, & circa eundem agit mandando, consulendo, is est causa moralis. Jam subsumatur, & contrarium apertè prodibit. De posteriori certum est, sine dubio peccare eum, qui alteri scelus jam tum apud animum suum volventi, ad idem illud perpetrandum mandatum dat, non diffitente *Slevogtio. l. c.* Qui ergò culpæ eximendus erit? Dicendum hic meò iudicio, mandantem hujusmodi dupliciter ad effectum concurrere, partim *absolutè* per mandatum, non habità ratione intentionis physici agentis: partim *respectivè* per consensum, quatenus animo jam sedet illud facinus agenti naturali; dum igitur mandatum alterius accedit, confirmatur a gens in genere nature, ad propositum suum perficiendum, consensu causæ superioris.

Executitur alterum dubium de approbatione & aliis modis.

§ 5. Alterum, quod in controversiam cadit, est: *Utrum qui approbat factum, qui post factum, ne ad poenam trahatur, autorem abscondit, qui laudat factum, qui particeps est facti propter commodum aliquod, qui non manifestat factum, qui idem defendit, in genere morum agat, ita, ut meritò causa dici possit moralis?* Affirmat negotium *B. Slevogt. Diss. VI. Pract. §. 21. p. 706.* Negant alii. Et hi, & ille rationibus pugnant. Benè quidem & convenien-

MORALI

nienter distingvit *Cl. Tentzelius Diss. 2. §. 22.* inter approbationem, quæ autorem delicti ad plura ejus generis facinora perpetranda excitat, instigat, imò etiam adjuvat: & inter eam, quæ specialiter illud factum defendendo, efficientem non instigat, sed reum duntaxat criminis à pœna promerita defendit & tuetur. Illam omninò causam vocat moralem: hanc non item. Rationes Viri doctissimi non compilo. Videri tamen posset utròq; modo causam in his apparere moralem, sed cum addito; ut motio dicatur indirecta, & hâc ratione approbans laudans, defendens, occultans, recipiens, *tempore* quidem posteriores esse possunt factò hòc, sed non jure, aut *potestate*, Nam qui factum jam ab agente Physico commissum approbat & laudat, utiq; in eo consensum suum eidem præbet, & quidem talem, ut & auxilium suppeditaturus sit, nisi facinus perpetratum jam esset. Rectè enim *Thomas, 2. 2. q. 71. art. 3.* Advocatum, si injustam causam scienter defendat, graviter peccare, & ad restitutionem teneri asserit, apud *Slevogt. l. c.* qui uberius eadem ex *Dyno* declarat. Expressè in hanc rem *Isocrates*, | Μηνενὶ πο-
νηρῶ, inquit, πρῶγμασι, μήτε παρίστασο, μήτε συνηγόρει: δόξαις
γὰρ καὶ αὐτὸς τοιαῦτα πρῶττεν, οἳάπερ ἀν' τοῖς ἄλλοις πρῶττε-
σι βουθῆς, *Orat. I. ad Dem. p. 19.*

§. 6. *Tertium* quo de controvertitur, in eo consistit: *Utrum rectè ad modos cause moralis directæ referatur meritum, impetratio, & satisfactio?* Scinduntur hac super re studia in contraria Philosophorum animi. Alii prorsus quæsitum inficiantur: alii omninò affirmant. Pro hac sententia stat *Cl. Slevogt. §. 78. p. 730. Scheiblerus, Svarez. ll. cc. Felvvinger. l. c. §. 31.* alii. Pro illa non pauciores pugnant. Et huc refero *D. Petr. Museum instit. Met. c. XXVI. §. 28. p. 325. Burgersdicium, Instit. Log. lib. I. c. 17. tb. 24. §. 1. p. 74.* & qui hujus vestigia pressè legit, *Adrianum Heereboord. l. c.* à quibus meritum ad causam reducitur impulsivam. Mediâ deniq; alii incedunt viâ, neq; his, neq; illis simpliciter assentientes. Nos de singulis breviter. Sit Conclusio *I. Meritum rectè ad modos cause moralis directæ refertur.* Intelligendum hoc est de meritoria causa, tum quatenus in actu ipso & virtute merendi

*Solvitur ter-
tia dubitatio
de Causa me-
ritoria.*

DE CAUSA

merendi constituitur: tūm quatenus aliquando in actu constituta fuit, & sic per recordationem movet. Imò verò actum merendi non moralem duntaxat, sed & physicum, quem vocant nonnulli (aptè, an minus? nunc non disputo) includendum arbitror. Nam quod ait Vir Cl. *Disp. 2. de C. M. §. 25.* videri posse, causam meritoriam in actu physico constitutam non causam moralem, sed physicam esse; dubio nititur, & fragili fundamentò. Servus etenim arando, vel alias officii sui partes fideliter obeundo, Dominum suum ad debitam sibi mercedem solvendam obligat, ut idem concedit *l. c. §. 24.* At obligatio, quid est, nisi vehementior causæ physicae ad agendum commotio? Deinde servus physicè agendo v.g. dum arat, nunquam attingit effectum, puta mercedem. Respondent effectum causæ illius meritoriae proximum, non esse ipsam mercedem, sed impulsionem locantis, ad erogandam conducto mercedem. Sed gratis, & contra propriam *ὑπόθεσιν* respondent. Ergone servus arando effectum producit impulsionem locantis ad mercedem? Hanc scilicet bobus, non agrum exarare laborabat servus! Neq; est, quod excipiant: servum licet immediatione suppositi mercedem non attingat, attingere tamen immediatione virtutis, quod ad impulsivam causam sufficere judicant. Sed enim, nonne concedunt, causam meritoriam, quæ per actionem moralem meretur, esse causam verè moralem? Porrò: nonne concedunt, consiliarium, qui Principi sana subministrat consilia, Principem meritoriè ad munera eroganda movere? Sequetur ergò exinde, salarium suum attingere consiliarium, aut immediatione suppositi, aut immediatione virtutis, aut nullò modò. Ultimum dici nequit; aliàs enim ad debitum præmium Principem non obligaret consiliarius, quod tamen illi affirmant. Utrumlibet ergò ex dictis eligant, aut propriam evertant sententiam, de servi actione meritoria physica oportet, aut consiliarium actu merendi morali agere negent. Sensere vim & efficaciam citra dubium hujus argumenti, unde meritò dubitare inceperunt, an actio physica sit causæ meritoriae causalitas, an matriale duntaxat? quod aliis discutiendum relin-

MORALI

relinquimus. Pari ratione doctissimi *Musei* tolerari nequit, ut ab ipso exposita est, opinio. Nam argumentamur: Quicquid actu movet causam physicam ad volendum & faciendum, vel dandum aliquid, illud est causa moralis, & quidem directa. Causa meritoria est talis. E. Major citra controversiam vera est. Minor ipsissimis *D. Musei* constat verbis: hōc enim modō causam definit meritoriam *l.c. §. 33. p. 328.* Imō quid infert aliud strictè & propriè sic dicta causa meritoria, quàm causam moralem? Ità recordatio meritorum Jonathanis, moraliter Davidem ad benefaciendum Mephibosetho movebat, *2. Sam. 9. 1.* Alexander M. Prindari Poetæ meritis motus, domum ejus in eversione Thebarum dirui vetuit, ut ex *Plut. in Alex.* refert, *Christ. Matthia Theat. Hist. Mon. 3. in Alex. c. 3. p. 316.* Similiter sese res habet in pœnis. Exempla in *Curtio lib. VIII. c. 6.* aliis, passim obvia sunt. Quid quod ipse largitur *§. 36. p. 328.* arctissimum inter causam meritoriam & moralem esse nexum, idq; eò maximè, quod vix possit esse causa meritoria, quin sit causæ alicujus moralis causalitas. Quâ ratione longè tolerabilior dicta est sententia, atq; *Heereboordij*, aut *Burgersdicij*, quæ contradistinctam constituit morali agenti meritoriam causam, & per hoc seipsam destruit.

§. 7. Conclusio II. *Impetratio & satisfactio è modis causa moralis excludi nec debet, nec potest.* Impetratoriam Causam, petitione, intercessione, sponfione, promissione, promissionis applicatione, aliisq; modis absolvi constat. Alii impetrationem dupliciter fieri ajunt, petendo, & aliquid nunc ex dignitate, nunc ex promissione faciendo. Sed eodem res recidit. In eo igitur tricantur nonnulli: *An qui ex promissione præstantis aliquid impetrat, sit causa moralis?* Respondent, ad effectum hīc non petitionem petentis, sed obligationem promittentis concurrere. At enim verò quid movit agens physicum, ut promissionem petenti daret? nonnè petitio, & instans deprecatio? Idem esto judicium de applicatione promissionis. Nam si is, qui aliquid promisit, ex obligatione tenetur ad præstandum, ab applicante quodammodò cogitur, & sic qui applicat promissionem, nihilò

*Nec non de
impetratio-
ria & satisfactio.*

DE CAUSA

hilò fecius moraliter agit. Unum est, quod observationem meretur, causam impetratoriam, quæ ex dignitate intercedentis propria proficiscitur, aliqualem cum meritoria habere affinitatem. Videre id est in matre Coriolani, quam ubi filius Romanis infestus, deprecantem aspexit: *Expugnasti*, inquit, *& vicisti iram meam, patria, precibus* hujus admotis, cujus utero te, quamvis meritò mihi invisam, dono, ut refert *Valer. Max. lib. V. c. IV. n. 1. p. 169.* Et dignitas, & meritum petentis impulère Coriolanum, ut nihil Romanis denegare posset. De *satisfactione* autem expressè videtur Conclusionem negare Vir doctus *l. c. de Caus. Mor. §. 26.* Sed salva re est. Nam quod physica causa esse nequeat, probatu non est difficile. Argumentamur: Causa physica per propriam entitatem & contactum physicum effectum immediatè attingit. Causa satisfactoria effectum immediatè non attingit. E. non est causa physica. Major ab omnibus, & ipsomet Viro Cl. conceditur §. 22. *Diff. 1. Minorem* totidem penè verbis idem proponit atq; approbat. Verum itaq; sit oportet *συμπέροσμα* nostrum. Excipit nihilominus ad Majorem: *Causam mediatam interdum physicam esse, qua tamen immediatè non attingit effectum.* Eodem trahit illa *Slevogtij l. c. §. 79. p. 730.* Judicem per cessionem bonorum ab uxore factam impulsam, ut maritum captivum, dimittat liberum, causam esse physicam liberationis, quam tamen immediatè non attingit. Sed *ἀπεργασίαν* illa adducuntur. Verba enim *B. Slevogtii* contrarium prorsus innuunt, ut introspicienti ad oculum patebit. Posito tamen, Judicem physicam liberationis captivi causam esse, necessariò sequetur, ut è captivitate Judex ipse, non verò per ministros, abducatur captivum, & sic eundem dimittat. Sed qui hâc ratione mediata causa liberationis est Judex? Quod itaq; satisfactio verè ad causam pertineat moralem, nò ad physicam, sic ostendimus: Quicquid verâ & reali motione causam physicam ad producendum effectum movet, illud est causa moralis. Causa satisfactoria verâ & reali motione causam physicam ad producendum effectum movet. E. Major ex superioribus, & concessione Adversariorum patet. Minor

pro-

MORAZI

batur, quia qui pro captivo pecuniam postulatam numerat, re-
ali motione Judicem ad liberationem ejus instigat, atq; impel-
lit. Exemplum sit nobis Cimon, Miltiadis filius, qui Patrem
ob crimen peculatûs in carcerem conjectum, ibiq; defunctum,
translatis in se vinculis ad sepulturam redemit, testibus *Justino*
II. 15. 10. Val. Max. lib. V. 3. Ex. 3. atq; aliis. Solutus tamen & ipse
vinculis, posteaquam satisfactio, pecuniæq; à Callia solutio in-
tercescit, ut autor est *Corn. Nepos, V. 1. 3.* Quæ de imputatione
& libertate hic inspergit Vir doctus, partim supervacanea, par-
tim falsa sunt. Nam positâ imputatione, positâ libertate,
non statim moralis ponitur causa. Deinde falsum est, liberta-
tem deesse satisfactoriæ causæ. Deniq; utut invita sit actio, ac-
tio tamen vera in suo genere dicitur.

CAPUT XII.

§. I. Exposuimus hætenus causam in genere morum di-
rectam, sequitur *Indirecta*, quæ expresso quidem voluntatis ac-
tu effectum non intendit, itâ tamen sese gerit per motionem
physici agentis aliqualem, ut effectus eidem tanquam physicè
influxisset, ascribatur. Fit ad minimum quatuor modis. I. in-
tendendo & movendo aliquid, ex quo quadantenus fluere scit effe-
ctum. Itâ si quis v. c. duelli sit director, aut *uscitans*, movet in-
directè victorem ad pugnam secum ingrediendam: Hæc enim
vetus duelli consuetudo est, quam non ignorat qui mediatoris
in se partes suscipit. Sic latro indirectè crucem, fur intendit
patibulum. Legem habuere Macedones; quâ cautum erat, ut
propinqui atque cognati eorum, qui Regi insidiati erant,
cum ipsis necarentur, autore *Curtio lib. VI. c. n. lib. VIII. c. 6.* Her-
molaus itaq; , qui occidendi Regis consilium inierat, indirectâ
simul motione ad interitum propinquorum concurrit: Unde *So-*
polis pater ipsius, parricidam etiam parentis sui clamitabat, *lib.*
VIII. c. 7. Atq; hoc ipsum non tam intelligendum est de actionis
& effectûs qualicunq; connexionem, itâ, ut ad indirectam motio-
nem sufficiat, si ex actione sua, effectus ne sequatur, periculum
subesse norit agens, ut visum est *D. Museo Inst. Met. c. XIII. §. 23. p.*
139. sed potius de facto illicito, & quod quoquo modo contra

K 2

bonos

Ex

Cplicitur
causa mor-
lis indirecta,
ejusq; modus
primus.

DE CAUSA

bonos mores facere non ignorat agens, unde ab eodem abstinere tenebatur, ne effectum voluisse, saltem indirectè, diceretur. Sic Clerici, quos vocant, nequam, exemplò suo ad nequitiam abducunt Laicos: Ephori luxuriæ & flagitiis dediti, indirectè curæ suæ commissos, ad omnis generis scelera inducunt atq; commovent. Et quanquam directâ motione ad effectum non concurrant: haud difficili tamen conjecturâ assequuntur, alios suò exemplo ad easdem vitiorum illecebras abreptum iri. Expressè hæc designat Aristoteles, *lib. III. Eth. c. VII. (al. VI)* quando docet ἀλογοι esse, eum qui intemperanter vivit, intemperantem haberi nolle. Οὐδὲ γὰρ ὁ νοσῶν, inquit, ὑγιῆς, καὶ εἰ ἔτῳς ἐτυχεν ἐκὼν νοσεῖ, ἀπορῶς βιοτεύων, καὶ ἀπειθῶν τοῖς ἰατροῖς: aut ut ista παραφράζει Andronicus Rhodius, (quem inter antiquissimos, qui apud Græcos exstant Philosophi Interpretes, ne exceptò quidem Themistio parem habere negat Dan. Heinsius, cui & hunc, & alios Autores, luci donatos publicæ debemus, in præfat.) καὶ γὰρ ὁ διαίτη διεφθαρμένη χρώμενος, καὶ ἀπειθῶν τοῖς ἰατροῖς, καὶ διὰ τὸ νοσήσας, ἐκὼν μὲν νοσεῖ. καὶ γὰρ ἐπ' αὐτῷ ἢ ἢ διαίτα, p. 152. Quî autem sponte aliquem morbum expetiisse dici potest, nisi eundem quâcunq; motione intenderit? Intenderit autem? imò sibi attraxerit, utut indirecte. Quid quod nec ignorantia rerum scitu necessariarum hic excuset? præsertim si quis sibi ipse ignorantia causa videatur extitisse? Atq; inde est, quod Pittacus legem tulerit, τὸς μεθύοντας ἀντυπλήσωσι πλείω ζημίαν ἀπορίνευσαν νεφόντων, apud Philosophum *lib. II. Polit. c. XII.*

Exponitur
modus secundus.

§. 2. Perficitur II. non impediendo causam physicam, cum possit, & teneatur. Utut enim expressò voluntatis actu ad effectum non concurrat, omissionem tamen ejusmodi spontaneò ausu, liberòq; voluntatis arbitrio expetiisse dicitur non impediens, eâq; de causa eventus meritò imputatur illi, qui cum posset, ac deberet, ratione officii, non impedivit effectum. Præclarè hanc in rem *Thucydides lib. 1. apud Hugon. Grotium. lib. 2. de Jur. Bell. ac pac. c. 21. §. 2. ὁ δύναμις παύσαι ἀληθέσειργον δεῖ* magis ille facit, qui potest prohibere. Unde *Tacitus lib. 1. Hist*

MORALI

c. 30. n. 6. Principem peccata non vitando jubere, graviter, ut solet, & πολυηλικώτατος enunciatur. Signanter tamen à Viris eruditis adjectum est, duo hic supponi requisita, 1. *potentiam*, ut possit, & facultatem habeat: 2. *obligationem*, ut debeat & teneatur effectum impedire. Hòc modò mater necem & suffocationem intendit infantis, si minùs circumspèctè somno oppressa eidem incumbat, atq; per hoc mortem infanti acceleret. De nauta vel fugitivo, vel dormiente, vel officium negligenter tractante eadem res est. Ex his requisitis alterutrum si desit, causam moralem non esse, nec eventum illi imputari posse, contendit *B. Slevogt. l. c. §. 39. p. 713.* De priori rectè consentit *Cl. Tentzelius l. c. §. 9.* de posteriori dissentit. Optimè. Nam obligatio vel est legis, vel naturæ, seu ut loquitur Philosophorum Princeps, νόμος ἐστὶν ὁ μὲν ἰδίῳ, ὁ δὲ κοινός, *lib. I. Rhet. c. X.* Propriam legem, seu obligationem definit, κατ' ὄν γεγραμμένον πολιτεύονται: communem verò ὅσα ἀγροφα πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ. Priori modo solitariè illam obligationem requirit *Slevogt. l. c.* ac proinde concludit, eum, qui navi periclitanti, cum possit subvenire, non vult, propterea, quia præceptò non est obligatus, causam submersionis, neq; physicam, neq; moralem dici posse. Duriter sanè. Nam sufficit obligatio communis & naturæ, quâ obstrictus ad auxiliandum vicinus est vicino. Sufficit illud *Publij Syri Mim. v. 154.* à *Seneca* tantoperè commendatum *lib. I. de Tranquill. c. XI* quod *Julio Cesari* in theatro publico pronunciatum, lacrymas excussisse ferunt: *Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.* Et illud ejusdem v. 3. *Ab alio expectes, alteri quod feceris.* Quod principium practicum cum recitasset idem *Seneca*, subjicit: *Hac cum idtu quodam audimus, nec ulli licet dubitare, aut interrogare, Quare? adeò etiam sine ratione Veritas ducit, Epist. 94. p. 337.* Deinde falsum est, quod negat *Slevogtius*, non impediendam submersionem navis, si nullo obstringatur præceptò, moraliter ad effectum concurrere, imò voluntariò modò agere. Nam ex mente *Aristotelis*, ἐκαστιον est, τὸ ἐκ διανοίας γιγνόμενον, aut, cujus principium in ipso est agente, *lib. I. Mag. Mor. c. XVII.* cognoscente singula ἐν οἷς

DE CAUSA

ἡ ἀρετὴ ἔστι, lib. III. Eth. c. III. quam definitionem frustra traducit Slevogt. *Disp. Pract. VII. §. 26. p. 746.* Talis autem est, qui non impedit, cum possit submersionem navis, svadente id rectâ ratione. Excludimus autem (1) eum qui ex ignorantia, cum aliâs possit, ac debeat, non impedit: (2) qui ex impotentia, etsi vellet, tamen impedire effectum nequit: (3) qui ex libertate, sive quod obstrictus & obligatus non est, causam in genere naturæ non inhibet. Hos omnes ab indirecta effectus intentione alienos habet, & prorsus absolvit Vir Magnus, *in instit. Met. c. XIII. §. 32. p. 143.* Verum utrinque cautio adhibenda. Quod si enim quis vel ignorantiam comminiscatur, vel aliâs ad singula probè non attenderit, cum debuerit, in promptu est illud: Turpe est Viro prudenti dixisse, *Non putarâ.* Imò si quis ignorantia sibi causa sit, aut ea ignoret, quæ ignorare minimè debebat, audiat illud: *Ignorantia non excusat.* Vid. hanc in rem prolixè Philosophus noster *lib. III. Eth. c. VII.* De impotentia idem esto iudicium, nisi illa planè sit inculpabilis, ne aut quis eandem simulet, aut causa ejus extiterit, seu eandem sibi conciliârit atq; attraxerit. Quod autem ad libertatem attinet, absolutam illam intelligimus, quæ cogi simpliciter nequit. Talis est libertas divina, quæ etsi lapsum hominum, aut Angelorum, citra dubium impedire poterat, non tenebatur tamen, cum viribus sufficientibus utrumq; condidisset.

*Tertius Causa
moralis indi-
rectæ modus.*

§. 3. Absolvitur III. motio causæ moralis indirecta, *impediendo quod impediri non debebat.* Non recte monent Viri Eru- diti: *Si effectus, qui sequatur, non sit malus in genere morum, tum ponentem impedimentum, causam moralem dici non posse.* Nam qui impedit, aut bonum, aut malum impedit. Si hoc, utiq; malum impedire debebat: sin illud, aut sub ratione boni apparentis, aut veri impediet. Nec priori, nec posteriori modò effectus sequi potest bonus. Quod si enim hic est bonus, utiq; rectè impedit. Qui valvas à fenestris removet, aut noctu infert lucernam in conclave, ubi dissentientes vitæ invicem insidiantur suæ, impedit sanè, quod impediendum erat: qui contrà fenestris valvas admovet, ut discordes se mutuò conficiant, impe-

MORALI

impedit, quod impediri nec decebat, nec debebat: nam aufert illuminationē, eamq; prohibet: & sic non ad hunc duntaxat effectū, sed & ad interitum alterius ex altercantibus, aliquid confert. Sed res tanti non est. Intelligi itaq; hic modus dupliciter potest: vel *exclusivè*, de causa morali tantum, vel *inclusivè*, ut simul sint causa physica, & moralis. *Illò respectu* Julianus Apostata Scholas Christianis aperire prohibuit; quo de *Ruffinus lib. 1. Hist. c. 32.* apud *B. Meisner. Phil. sob. part. 1. Quæst. gen. memb. 2 p. 29.* Ità *Ambrosius*, contra Maximum, de *Gratiano Imp.* quem ille occidit, *Epist. 56.* At quomodo allegabis, quod eum non mandaveris occidi, quem prohibes sepeliri? Vid. *Barthium* Ἰὼν τῶ ἀνυ, *Ani. madv. ad Claud. IV. Hon. Conf. v. 115. p. 580.* Hòc verò eadem causa, & moralis & physicae denominationem habere potest. Id quod per se claret.

§. 4. Deniq; IV. fieri & perfici potest *removendo impedimentum*: quando id, sine quo aliquid fieri nequit, ex intentione juvandi aut lædendi, ut eventus moraliter bonus vel malus inde proveniat, removetur. Nisi enim cum impedimenti remotiōne ità sese res habeat, rectius in genere naturæ ἀίτιον καὶ ἀσυμβεβηκός, quàm causa in genere morum, appellabitur. Rectè hoc ex Aristotele colligit *Cl. Tentzelius l. c. §. 20.* eò quidem locò, ubi Philosophus varias motus enumerat species, & inter alia de eo, qui Ἰὼ ὑφιστάμενον καὶ κωλύον movet, subjicit; quod is & movere, & non movere possit: sicut, qui removet lapidem, quò uter aere plenus, sub aqua comprimebatur, statim utrem sursum movit, sed accidentaliter: καὶ ἀσυμβεβηκός γὰρ κινεῖ, inquit Philosophus *lib. VIII. Phys. c. IV. tex. 32.* Rationem addit *Toletus in h. l. f. 225.* quia non dat movendi virtutem, nisi generans. *Vid. Armand. de Bell. Vis. tr. 2. c. 246. p. 445.* Affinitatem cum hoc modo habet causa, quam vocant, sine-qua-non, quando hypothetica removentur obstacula. Et hanc ipsam non rarò propter hunc nexum, cum causa coincidere morali, aliquibus visum est. Ità fatetur *B. Slevogtius*, disputationem impletionem conditionis, sub qua Pater filio novam promiserat vestem, non causam sine-qua-non duntaxat, sed veram, eamq; in ge-

Quartus & ultimus ejusdem modus.

DE CAUSA

in genere morum esse causam, *Disp. Pract. VI. §. 81. p. 731.* Sed minus accuratè. Nam fieri nullò modò potest, ut idem respectu ejusdem causa sit in genere morum, & ἀίτιον αἴτιον ἔ. Quod si enim hoc foret, utiq; idem respectu ejusdem effectus, exereret causalitatem, & non exereret: exereret, quatenus causa per se, non exereret, quatenus causa sine-qua-non est. Siquidem duo ad hanc requirit, *Cl. Slevogt. Disp. Ac. Theor. IV. in Coroll. p. 275. (1) ut nullam exerat causalitatem in ordine ad effectum, cujus est conditio sine-qua-non: (2) ut licet ad causam per se necessaria sit; ad ipsam tamen effectus productionem, se velut per accidens habeat.* Jam impossibile est idem esse, & non esse, *lib. III. Cal. IV. Met. c. III.* idem eodem respectu se exerere, & non exerere. Quì ergò causa sine-qua-non, cum causa coincidere poterit morali. Alia distinctionis membra lubens prætereo.

CAPUT XIII.

*Transitus ad
Questionem:
An Pater sit
causa Filij
moralis?*

§. 1. Absolvimus divisiones Causæ Moralis potissimas: quanquam præter has aliàs dari non inficiamur. De proprietatibus nunc ejusdem esset agendum; sed quoniam ex & vulgo non incognitæ sunt, & ex iis, quæ c. VI. & VII. supra disputavimus, haud difficulter colligi possunt, iteratò hòc labore superfedemus. Placet autem, usùs gratiâ, unicam subjungere quæstionem, quæ animos Doctorum variè affecit: *An Pater Filij sit causa Moralis?* Nam quæ aliàs in controversiam veniunt: Utrum Deus sit causa peccati moralis? Utrum fides, bona opera, causæ sint salutis in genere morum? cùm alterius sunt fori, tum ab aliis luculenter exposita, imò integris libris excussa atq; ventilata, prostant. Illud autem, quod hic movemus dubium, quò pauciorum subiit curam, eò majorem nobis parit difficultatem: quæ an superari queat, videamus.

*Occasio "con-
troversie.*

§. 2. Posteaquam de Origine animæ accuratius disputari cæptum est, diversissimis hinc inde jactatis opinionibus, cæpit & ista sententia; *Patrem duntaxat filij causam esse moralem*, radices in quorundam animis paulatim agere. Prodiit demum & emanavit in vulgus eadem opinio, & quæ paulò antè inter privatos hæserat parietes, tam Veteribus, quàm Recentioribus Philo-

MORALI.

Philosophis incognita, non exiguum, propter novitatem, mereri visa est applausum. Ex eo tempore in varias itum est partes: nonnullis pro veteri, nonnullis pro hac nova sententia, acriter, ut fieri solet, depugnantibus. Apparuit nihilominus non multò post fucus, Eruditorum operâ detectus, & splendidum in fumos abiit commentum. Neq; tamen hic finis: sed ulterius, cum hâc non daretur egressus, alia tentata est via, quæ à plurimis hodiernum teritur atq; calcatur. Verùm propius ad rem. Tres potissimum sunt modi, quibus in defendenda hâc re Viri Docti utuntur: (1) alii ex hypothese argumenta deducunt, ut consuetarium, & πρόβλημα quoddam sit, hoc quod proposuimus πρόβλημα. (2) alii rationibus suis inhaerent, quas quâcunq; assumptâ hypothese, tueri conantur: alii deniq; (3) speciosè rem exornant, dum ex sententia Aristotelica idem sequi, simò fluere contendunt. De singulis perspicuè, sed διαβεχέων dicemus.

§.3. Primum modum initiò secuti sunt illi, qui animam geniti à Parentibus in generatione non produci, sed à Deo immediatè creari, nostris temporibus, docuerunt: ut ità ex eorum sententia, Deus Opt. Max. solus animam, tanquam causa physica producat, pater autem propterea, quia semen confert, (citra quod neq; creetur, neq; cum corpore jungatur anima) sit causa in genere morum. Alterum elegit Cl. Slevogtius, Diss. Pract. VI. §. 66. p. 724. seqq. quem inter alios sequi videtur. Dn. Felwingerus, Disc. de Caus. Mor. §. 3. Tertium nonnulli hodiernum maximè urgent. Rationes posteriorum præcipuas excutiemus. Nam de primo modo præstat tacere, quàm pauca dicere, ut illud, nescio cuius, in alia re prolatum, huc applicem. Disputat proinde I. B. Slevogtius l. c. ad pag. 730. admodum prolixè Patrem in generando, non physicè, sed moraliter agere. Argumentum ejus rei infallibile, ut existimat, hoc producit: Causa physica esse in effectum influit influxu & actione reali. Sed genitor in actum generationis non influit esse influxu & actione reali. E. genitor non est causa physica generationis. Minorem probat (1) quia genitor applicatò semine quiescit, & nihil

Argumenta
Slevogtj, atq;
aliorum, pro-
ponuntur.

L

agit

DE CAUSA

agit amplius. *Quis autem sanus, inquit §. 67. p. 724. eundem physicè generare dixerit, qui semen tantum utero infert?* Eandem rationem adfert *Cl. Zeisoldus Instit. Phys. lib. 1. s. 2. art. 2. p. 2. §. 126.* ubi hominem generantem in generatione filii & physicam, & moralem causam esse contendit: physicam quidem quâ confectum ab eo semen; moralem verò, quâ filium genitum, cujus esse ipsum non influere, sed tantummodò semen prolificum utero applicare, quod generationem perficit, docet. [2] quia sæpè fit, ut peractâ seminis applicatione statim intereat genitor, & non existat etiam antequam vel dispositio saltem materiæ inchoetur: quomodo ergò genitor, qui non amplius est, causalitatem activam exercere, & esse actuale, quod ipse non habet, genito dare potest? Hæ sunt rationes ejus potissimæ, quibus, tanquam fundamento, suam superstruxit sententiam. 2. Operosus est Vir Magnus, ut eandem ex Philosopho exculpat opinionem. Sic itaq; procedit. Illud ex quo generatio fit, Aristoteles vocat *ἄλλυ lib. II. de Gen. An. c. I.* materiam scilicet non maris, sed femine, illam verò non agendi virtute prælitam esse, sed passivè se habere, docet *lib. I. de Gen. An. c. XIX.* Jam porrò ait: *Mas dicitur generare, quatenus movet materiam per semen, id est, quatenus semen communicavit cum virtute agendi, & membra efformandi: semen verò dicitur agere, quatenus est motum à mare, tanquam principali agente.* Hinc Aristoteles *lib. I. de Gen. An. c. XXII.* semen *maris vocat instrumentum, marem autem causam principalem.* Explicat ulterius, quale instrumentum intelligat Philosophus, separatum nimirum, eò quod semen maris, in generatione, maris substituatur locò. *Ex his, inquit demum, colligi potest, Patrem, stante sententiâ Aristotelis, non esse causam physicam filij, sed moralem.* Hæc ille.

Sententia nostra exponitur.

§. 4. Sed enim glaucoma ob oculos imperitis objecerunt Viri Eruditi, faceti fabricis, & doctis dolis, ut cum Comico loquitur, *Mil. Glor. 2. 1. 69.* Longè aliter res ipsa sese habet. Nam, ut nihil dicam de aliis, & generationem in universum omnem, & præsertim hominis turbant, imò tollunt, qui sic statunt. Causam ipsi moralem veram esse negant causam, imò ad *αἰτίου* per acci-

MORALI.

accidens, quod & ipsum ex veris & realibus causis excludunt, re-
ducunt: & nihilominus Patrem in genere morum ad generati-
onem filii concurrere asseverant. *Forſan ibi hoc valeat, inquit le-
pidè Cl. Pomarius, Colleg. Synopt. in part. Gen. Phys. Diſp. VIII. Poſ.
3. §. 3. ubi alter filioloſ fecit, tulit alter honores: non autem ubi legi-
timus Pater, & legitimus partus.* Argumentamur 1. Quicquid
verè & realiter in effectum, per propriam influit entitatem, il-
lud est causa physica. Pater in generationem filii dictò modò
influit. E. Major est extra controversiam. Minorem probo: Q.
& immediatione virtutis, & immediatione suppositi effectum
attingit, illud verè & realiter per propriam influit entitatem.
Pater & immediatione virtutis, & immediatione suppositi ef-
fectum attingit. E. Propositio prima negari nequit. Assump-
tum exinde constat, quia neq; virtus aliunde emendicata, neq;
aliud aliquod ad generationem intervenit suppositum 2. Ex *Ari-
stotele* idem probamus, contra *Viri docti* sententiam: Quic-
quid proximum agendi principium est, illud non est causa mo-
ralis. Pater in generatione proximum agendi principium est.
E. Major patet; Minor est *Philosophi, lib. I. de Gen. An. c. XXI.* ubi
docet, fæminam quidem, quæ fæminam *παθητικὴν* esse, *τὸ δ' ἀρ-
ρην, ἢ ἀρρην, ποιητικὸν, καὶ ὁθεν ἄρχῆς κινήσεως.* Ne quis autem
hæc obscurius dicta existimet, interpretem sui ipsius adjunge-
mus *Aristotelem.* Ità ille *lib. I. de part. An. c. I. ant. fin. γένεσις
μὲν γὰρ* inquit, *τὸ σπέρμα, ἡ δὲ ἰστία δὲ τὸ γέλοσ. ἀμφοῖν δὲ ἐτι πρό-
τερον, ἀφ' ὧ ἐστὶ τὸ σπέρμα.* Docet nimirum, semen quidem
ποιητικὸν esse ejus, quod gignitur, sed elevatum à superiori a-
gente, unde & *ὄργανον* non semel *Philosopho* dicitur. At ex-
cipiunt *Zeisoldus l. c. §. 204. p. 129. Læberus, Disp. de Instrum. §. 22.
Heereboord. vol. 2. disp. XVI. §. 9. p. 245.* semen in generatione non
amplius esse instrumentum, sed principalem causam, & sic vir-
tutem imprimantis non requirere, cùm independenter agat.
Verum enim verò excogitatum hoc est *κρησφύγετον*, ut causam
tueri possent moralem, quæ ex illorum sententia perfici nequit,
nisi causa adsit in genere naturæ cprincipalis, quod hætenò cō-
stanter creditum est, sed falsò, ut suprà demonstravim⁹. Provo-



DE CAUSA

cant ad lib. V. Met. c. II. ubi expressè inter causas numeratur τ' ο σπέρμα. Sed ignorare non debebant, semen non sui ipsius, sed maris esse, & sic in generatione virtute à generante sibi impressa agere. Hunc enim in modum loqui nos docet Philosophorum maximus, lib. I. de Gen. An. c. XVIII. med. βέβαιαι δὲ τοῦ ἡν φύσιν εἶναι τὸ σπέρμα, ἐξ ἧ καὶ ἀ φύσιν συνιστάμενα γίνεσθαι πρώτῃ, ἢ τὸ ἐξ ἐκείνης ἰνός. ἢ εἶναι τὸ ποιῆν, οἷον ἐκ τῶ ἀνθρώπῃ. γίγνεται γὰρ ἐκ τῶ ἀλλ' ὅτι τῶ τῆ ἐπὶ τὸ σπέρμα. Quin imò mirari satis non possumus, eos, qui isthęc inter primos protulère, tam inconstanter sententiam suam proposuisse, ut quid tandem statuerint, nescias. Nam cum Vir doctus, semen causæ principalis in generatione vicem gerere, in Instit. Phys. l. c. doceat: non paulò tamè antè, §. 194. p. 123. expressè ex moventibus primis excludit semen. Est ὃ, notatu dignum, inquit, quod semen reliquis annumeratur, quod tamen non est agens, sive movens primum. Nimirum ostendere voluit Philosophus, & hac agentia, nimirum instrumentaria, ad hoc genus causæ pertinere. Atq; hoc ipsum voluère Thomas part. I. Sum. q. 98. art. 1. ad 3. & Zabarell. lib. 3. de mist. gen. c. 8. col. 677. dum statuunt, in generatione viventis primum movens esse animal, semen verò, ejus esse instrumentum, quod per vim ab eo receptam generat alterum animatum simile. Alias probationes non accersimus, quandoquidem Aristoteles disceptare de iis vetat, ὧν σύνεγγις ἢ ἀπόδειξις, lib. I. Topic. c. XI. §. 10.

Argumenta
contraria sol-
vuntur.

§. 5. Nunc ad ea, quæ superius posita sunt argumenta respondendum. Falsum itaq; i. est assumptum in eo argumento, quòd invictum censuit Slevogtius. Nec juvant probationes. Nam in (1) ἔλεγχῳ committitur παρὰ τὸ μὴ αἰτιον; siquidem, quod post applicationem quiescit genitor, causa nullatenus est negati influxus. Semen esse instrumentum generantis pleriq; negare non sistent. Jam positò hęc, ex mente Thoma, q. 3. de pot. art. II. ad 5. sequitur instrumentum tamdiu à principali agente moveri, quamdiu retinet virtutem ab illo impressam. Unde & semen, inquit, tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu ibi remanet virtus in pressa ab anima, licet corporaliter

MORALIS

valiter sit divisum, apud Philipp. à SS. Trin. sum. Phil. prima secun-
 da, q. 12. art. 1. p. 558. Deinde falsum omninò est applicantem
 semen non generare. Bruta tantummodò, & plantas respici-
 amus; quâ ratione in his perficietur generatio? & res erit pla-
 na. Respondeat pro me subtilis Scaliger: *Generat, inquit, arbor,
 cum producit semen, non autem generatur arbor, cum pullulat è se-
 mine. Sed tunc generatum, quod erat imperfectum perficitur. Sic ca-
 nis non gignit, cum nascitur catellus, sed cum semen gignit.* Hæc
 ille, *Exerc. VI. f. 10. p. 37.* Et quid dicemus? Equum, canem &
 moraliter generare Slevogt. ipse asserere non sustinuit, *l. c. §. 77. p.
 729.* Et aliq: *Equum quod cõcernit, inquit, mediante semine generan-
 tem, ipsi, quomodo equi progeniti causa physica sit, ingenuè, quod
 nondum capiamus, fatemur.* In (2) petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Nam pa-
 ter genito esse actuale largitur, dum generat. Aliàs non pos-
 set simile sibi progenerare simile. Sic enim Pater qui statim
 post applicationem seminis moritur, aut prorsus non genera-
 ret, aut mortuum generaret filium. Adde quod bruta eòdem
 modò non φυσικῶς, sed moraliter gignerent, quoniam fieri
 potest, ut peractò coitu equus v. c. in bellò interficiatur. Σοφισ-
 τικῶς proinde colligit idem, §. 68. p. 715. Modus rei non potest e-
 xistere, nisi existat res cujus est modus. Sed actio physica & rea-
 lis, est modus causæ physicae, quia est causalitas ejus. E. actio
 Physica & realis existere non potest, nisi existat Causa physica,
 cujus illa modus est. Quæ vera quidem sunt, si ἀπλῶς conside-
 rentur: sed audiamus, quomodo ista ad Patrem applicet Vir
 doctus. *Dum itaq;, inquit, genitore non existente amplius, atq; a-
 deò nec ad generationem physicè concurrente, nihilominus genera-
 tio fit, quomodo genitor generationis causa physica dici potest? O-
 besè naris sit oportet, qui ἀσυνλογιστίαν non animadvertit? A-
 lia enim res est Patrem mortuum actum generationis amplius
 non exercere, alia non exercuisse. Si hoc, cum demum vera sunt,
 quæ prædicat, sin secus alium quærat, cui ista persvadeat. Vid.
 Derodon. Met. part. 1. c. 3. §. 30. p. 85. Falsum est 2. quod ait Vir Ma-*

DE CAUSA

gnus, hominem effectum per suam entitatem non attingere. Nam quæso, doceant me Eruditi, an sejunctum quid ὅλως καὶ ἀπλῶς ab homine sit semen, an verò ab eodem contineatur? Sane calor dum urit in ferro ignito, instrumentum, juxta Scholasticos, est separatum: sed num ratione pariter operationis separatum sit, meritò dubitatur. Idem de semine habendum. Et ità docet Aristoteles, dum expresse motum moventis in se continere asserit semen *lib. II. de Gen. An. c. I.* Sed de his abunde: ne videamur, τοῖς ἔξωθεν λόγοις πληρῶσαι τὸν λόγον.

F I N I S.








ULB Halle

3


005 129 222



Reho
WD 17







10

Q. B. V.
LOSOPHIA PRIMA,
DE
S A M O,
A L I,
TRIBE II.
Quam
UB PRÆSIDIO
V I R I
, atq; Excellentissimi.
IANI TRENTSCHII,
Prim. Professoris Publici,
celeberrimi,
Promotoris, ac Patroni sui,
tem venerandi,
rum censuræ, pro more,
exponit
ICUS BESSELIUS,
Filsâ-Prussus.
Augusti, horis antemerid.
ditorio Majori.
TTEBERGÆ
ANNIS BORCKHARDI
NO M DC LXIV.

